This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000089850
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B. L. 1597

EPAENESIS IBERICA

AVCTORE

LVDOVICO TRIBALDO TOLETO
RHETORE OLIM COMPLVTENSI
NVNC RERVM INDICARVM
REGIO PRIMARIOQVE HISTORICO:

AD

CLARISS. ET ORNATISS. VIRVM
D. LAVRENTIVM RAMIRIVM PRATENSEM
IN AMPLISS. INDIARVM SENATV
CONSILIARIVM, REGIVMQ. EXLEGATVM.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXII.

Digitized by Google



I de Courbes F.

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO
D. LAVRENTIO
RAMIRIO PRATENSI
E REGIO
SENATVS INDICI ORDINE
CONSILIARIO DIGNISS.

LVDOVICVS TRIBALDVS TOLETVS

Regius primariuſque rerum Indicarum Hiſtoricus

S. P. ET OP. M.

HISPANIÆ vniuerſæ, & in eâ MANTVÆ huius CARPETANÆ laudes aliquot, ex tanto earum aceruo delibatas, indigenis acceptiſſimas, exteris autem, quorum fortè animi inuidiæ furijs agitentur, graues admodum ingratiſſimaſque futuras, carminibus vtcumque celebratas, Tibi, Vir gratiſſime & integerrime, ex Gallicâ Regiâque Prolegatione, quâ

non peritè modò fideliterque, verùm magnificè etiam præclareque functus es, iam reduci nuncupari, & ſub ampliſſimo patrocinio tuo lucem aſpicere debere exiſtimaui: tum, ne pulchrioribus & amplioribus muneribus digniſſimus, vel hoc munuſculo (cui plurima præclariſſimaque debentur) fraudarere; tum etiam, vt qui me ſtudio patriæ incenſum minùs idoneum eius præconem, maleuolentiâ & obtrectatione impediti, cauſabuntur, Te ſaltem certiſſimum acerrimumque ſplendoris dignitatiſque HISPANÆ vindicem agnoſcant. Nec tamen ſic notorum ignotorúmve inuidentiam vereri ac deprecari debemus, vt eam expreſſum & fauſtum virtutis felicitatiſque noſtræ ſignum non fateamur: imò verò, ſi malè meritis referenda, quæ debetur, gratia eſt, quemadmodum ipſis, vt nemo vmquam inuideat, optabimus; noſtræ ita laudi atque gloriæ, vt maximè diutiſſimeque inuideatur, expetemus. Vale. Kal. Octobris M. DC. XXIII.

Digitized by Google

ἘΠΑΙΝΕΤΗ΄ΡΙΟΝ ἜΠΟΣ

AD EVMDEM.

ARDVA *molimur, tua dum præconia,* LAVRENS,
Aggredimur; faueant cœptis Heliconis alumnæ,
Noſtraque Caſtalio conſpergant ora liquore.
Vnde tamen tanti ſurget ſermonis origo,
Quæve priùs coner mira & memoranda referre?
Sic ſtet, & incertus quà debeat ire ſit, anceps
Cernat iter quoties lentè omni ex parte viator.
Prima coloratos ſiquidem via tendat ad Indos,
Vnde nitens croceis Auroræ cubilibus exit;
Altera Parrhaſiam deducat ſemita ad Arcton,
Quæ timet Oceani gelidos contingere fluctus.
Curua pedes illuc trito ferat orbita calle
Quà vagus Aethiopum Nilus nigra permeat arua,
Occiduumque petat Solem ſalebroſior alter
Trames, vt arcanis noctis ſeſe occulat vmbris.
Sic etiam dubiâ in cœnâ conuiua recumbens,
Tot ſimul ad miſſus oculos conuertit; & haud ſcit,
Sumina ne, an primò fumantia deuoret extà:
Copia diues enim prandentem reddit egenum.
Haud aliter noſter, poſt tot nunc laudis aceruos
LAVRE *tuæ, calamus dubius ſtupet, angitur, hæret,*
Queis primùm inſiſtat meritis. Vocat inde vetuſtæ
Gentis honos, quondam rutilo lux æmula Soli:

Hinc celebris reuocat virtus, nomenq́ue parentis,
Me ſplendor rapit inde tuus, vitæq́ue fluentis
Integritas, animus nec non quæſitor honeſti.
Sed tu nec generis caperis virtute ſuperbâ
Maiorum; aut curas alienâ luce nitere,
Vt fratris ſplendet radiantis lumine Luna.
Nam, licet obſcurâ genitus de ſtirpe fuiſſes,
Ipſe tuum poſſes virtutis origine clarus
Nobilitare genus. Siquidem, quæ non facis idem,
Nec tua iure putas. Cernis, maleſana iuuentus
Nobilibus generata viris nuribuſque probatis
Vt necdum in cœnâ laudem mereatur, ob id quòd
Degeneres animos ſub auito ſtemmate celet.
Quid genitoris enim pietas mihi proderit vmquam,
Impius & nequam ſi ſim ſine fine futurus?
Nobilitas ignaua perit, ſi laude parentum
Nixa modò eſt. Manes maculoſa infamia claros
Obſcurat patrum, non ipſa niteſcit ab illis.
At tu qui tantis animum virtutibus ornas,
Et minimum decoris generoſo in ſanguine ponis,
Laudibus eximijs meritò tollendus ad aſtra es,
Quas differre nefas. Etenim quid dicere oportet,
Vt domus auſpicium RAMIRI *à nomine ducat*
Quod noſtris quondam iure imperitauit Iberis?
Nam quamuis nullo penitus de Rege trahatur,
Non hæc de nihilo eſt nomenclatura virilis.
Demus enim fuerit Gothicâ è regione profecta,

Neſcio

Digitized by Google

Neſcio quid ſubolet geniӱ regalis in illâ.
Moribus ingenuis pater hinc & acumine mentis
Splenduit arcano pridem, placuitque PHILIPPO
Multorum Regum nulli virtute Secundo,
Ipſe togæ inprimis nulli quoque laude ſecundus,
Diuitiӱs pollens, magnis & honoribus auctus.
At non tam cenſu, quàm prole beatior ipſâ
Enituit, quoniam ſuſceptis tempora natis
Sæpè ſua ornauit. Te qui præceſſerat ortu,
Conſilio accenſus Crucis à diplomate dicto,
Primâ adoleſcente & vixdum vernante Iuuentâ
Indole præſtanti æquales ſuperauerat omnes;
Quem citiùs Nobis mors tandem inuidit acerba.
Alter Cæſarei iuris quoque perpes amator
Hiſpalis egregiӱs lumen Conuentibus addit,
Delicium populi, toti venerabilis vrbi,
Quiduis comè loquens ac omnia dulcia dicens.
At te poſterior pulchrâ virtute decorus
Illuſtrat Myſtas non re ſed voce Minores.
Quippe vbi ſuggeſtus ſublimi in culmine ſedit,
Edere mox tonitrus poſt fulgura denſa videtur,
Ceu Pericles doctæ quem mirabantur Athenæ.
At tu nunc primus qui quondam ætate ſecundus,
Mantoam fauſtis decoras natalibus vrbem.
Ergo cùm primùm lucem vidiſſe ſerenam
Contigit, atquè lares ortu illuſtraſſe paternos,
Has adiere alacres matres Mantoïdes ædes,

Gratantes

Digitized by Google

Gratantes vltrò genitrici pignora diæ.
Ex quibus vna palàm, vultu inceſſuque Sibyllam.
Longæuam referens, & fati gnara futuri,
Cùm primùm roſeas in luminis editus oras
Mulcebas teneris volucres vagitibus auras,
Vagore aduenit ceu nutrix excita alumni,
Cognita iam nulli nec viſa prioribus annis.
Ergo maternum penetrauit vt ipſa cubile,
Ingruerent furuæ cùm prima crepuſcula noctis,
Teque ſecus tenerum ſubluſtri in lumine ſedit,
Neſcio quo pacto circumſtans ſexus vterque
Arrectis horrore comis iam ſponte ſilebat.
Tunc ea candentes ſoluit de vertice crines,
Termitibuſque ſimul redimiuit tempora laureis,
Siſtraque iactauit geminis Memphitica palmis,
Vaticino reſonas fundens has gutture voces,
Quarum quæque fidem numquam temerata fefellit.
Saluete, O Genitor fortunatiſſime nato,
Et felix nullo remorata Puerpera nixu;
Miro, eſtis, Superi quos complectuntur amore:
Multa manent ambos felicis commoda ſortis,
Si non inuidiæ, mihi nunc iucunda relatu.
Audite hæc igitur quæ fauſta ſuperſtite nato
Euentura canam: ſed vos, dum ſingula pando,
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Hæc erit illa dies toto memorabilis æuo,
Paruulus in lucem quâ primùm prodiit infans,

Digitized by Google

Inſans veſter honos, quo nuſquam pulchrior alter
Editus inter eos quos Mantua iactat alumnos.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Hunc nutrix fouet ecce ſinu, prædulcia mella,
Labris labra premens, quæ inſtillet, & oſcula figat,
Imbuit vt tepido qui manat ab vbere rore,
Nutriri Ambroſiâ dignum vel nectare odoro.
Huius item ſomnos leni mulcere ſuſurro
Optat, & vt puro ſint pura crepundia curat.
Hanc operam mulier tenero modò nauat alumno,
Hanc nauare olim puero perſtabit eidem.
Quid faciet mater, nutrix cùm talia curet?
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Paruulus ecce infans ſacrâ madidabitur vndâ,
Sortitus viridis lauri de nomine nomen,
Quâ victrice diu victricia tempora nectet.
RAMIRI *cognomen erit, commune vocamen*
Regibus ac Ducibus natis de ſanguine Ibero.
His addetur idem PRATENSE *agnomen auorum,*
Floribus ingenij quod ſcilicet ipſe coruſcis
Vſque adeò ornabit, luce & complebit honorâ,
Vt quod gentis erat proprium, ſibi vendicet vni.
Ominis hæc fauſti ſunt omnia, nempe quòd ipſe
Mirus erit LAVRI PRATENSI *è ſtipite Ramus.*
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Vbera chare puer tenta, & lallare recuſa:
Siue tibi ſatis eſt blæſæ indulſiſſe loquelæ,

Verbum profer idem ſumptis quod remiget alis
Aëra per liquidum, ſpatioſáſque ætheris oras.
Sperne nuces, alium poſcunt iam tempora ludum.
Certè opus eſt primo tandem parere Magiſtro,
Quique elementa tibi in tabulâ depingat acernâ:
Quæ meditere diu, memori quæ mente reuoluas
Semina ſermonum, donec ſerat aurea lingua,
Háſque notas digiti calamo properante figurent:
Strenuus ac demum puerilia munera linquas.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.

Hunc tu, docte Pater, cùm parua adoleuerit ætas,
Pieridum turbæ geniali trade docendum.
Et facies, fruſtrà ne magno è nomine nomen
Quæ ſchola ſortita eſt, propè ſit: tua munera ſunto
Explanare domi quæ penſa abſoluet in illâ.
Nec tamen vſus erit crebris calcaribus iſti,
Sponte ſuâ feſtinus iter properabit, & omnes
Excutiet latebras Latij ſermonis, & vnà
Abdita laxabit Graiæ penetralia linguæ.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.

Vos etiam Matres veſtrum ſpectabitis olim
Indigenam, ex ipſis cùm nondum excedet ephebis,
E Salmantinæ redeuntem mœnibus vrbis
Artibus excultum doctis, ſtudiíſque Mineruæ.
Illuc nam genitor PRATI cognomine clarus
Ex ſe productum curabit mittere florem,
Quà iuuenis pridem toto plaudente theatro

Præbue-

Præbuerat ſpecimen Iuris cum laude tuendi.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Huic ſi non ferro pectus munire licebit,
Nec vibrare manu præacutæ cuſpidis haſtam,
Tempora nec galeâ dextrámve armare bipenni,
Sternere vel rigido pugnaces enſe catervas;
Bella geret Pacis, quæ numquam marcet inermis,
Sunt quia iudicibus ſua prælia dura togatis.
Verba, diſerta grauis nam ſunt Demoſthenis arma,
Tullius & victor ſpolijs exultat opimis,
Et fora rauca tubas ſuperant clangore ſonaces,
Pacato vt ſuperent validæ in certamine vires.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Illic ſub magnis Doctoribus ambiet Orbem
Pædiæ, & cautè totum explorabit ad vnguem,
Abſoluétque memor ſub Pallade penſa Brocenſi,
Quâ naſcente Brocis doctæ ceſsiſtis Athenæ.
Salue Magne ſenex, moderator ſumme Iuuentæ,
Nullus Ariſtarchus tibi ſeſe æquabit Iberus:
Hic tibi diſcipulus, qualis tu doctor acutus:
Alterius fuerit decor inſuperabilis alter.
Auditor doctus decus immortale Magiſtri eſt.
A docto inſtitui ſors eſt optanda Magiſtro.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
O Salmantino quanta ornamenta Lyceo,
Quantaque lautities ex tanto accedet alumno,
Marmorea vt iuuenis calcabit compita lætus,

Digitized by Google

Vix tenui obductus roſeas lanugine malas!
Tunc Academiæ pertinget vt atria, adibit
Gymnaſia aſſiduè prælustria gentis Iberæ;
Agminaque in Sophiæ ſternet ſtudioſa Palæſtrâ,
Acria ab aduerſo reddens reſponſa ſedili.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Ergo Victori plaudent viridesque Napææ,
Tormiadesque vdæ vitreis vaga numina in vndis:
Faunigenæ agreſtes ac monticolæ Siluani,
Iuncta caternatim iactantes brachia circùm,
Lectas manè roſas, & candida lilia ruris,
Narciſſumque crocumque & purpureos amaranthos
In caput inque ſinus iuuenis iacientque ferentque.
E foribus ſparſim pictis, patuliſque feneſtris,
Effundent nardi conchas ſpirantis odoras,
Et rorum nimbos, & vim fragrantis amomi;
Et bona verba hilares & lenia carmina dicent.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Ergo domum repetet ſpolijs ornatus honoris,
Et ſplendore ſui complebit nominis omnia;
Curiaque optabit talem ſibi adeſſe patronum.
Intereà plures menſes voluentur & anni,
Et certamen erit fratris cum patre, ſed anceps
Cuiuſnam ſtudijs fortuna benignior adſit.
Tanta erit inuicti Regis propenſio in vtrumque.
Aulæata domus vario fulgore nitebit;
Cùm ſubitò inſtabilis vultu fortuna ſeuero,

Quo

Digitized by Google

Quo ſolita eſt fauſtam ſortem mutare malignâ,
Ingenio partas acri, vigiliq́ue labore
Quæſitas euertet opes de culmine ſummo:
Quæq́ue domus fuerat regali ſplendida luxu,
Corruet (heu fatum!) vaſtâ conuulſa ruinâ.
Tunc patrem rapiet rigidæ inclementia mortis,
Tunc fratrem extinctum properato funere flebit.
Nec tamen hic fati tanto ſub faſce fatiſcet,
In quem tunc omnis domus inclinata recumbet.
Solus enim poterit fortunæ illudere acerbæ,
Infractoq́ue animo fractis ſuccurrere rebus:
Inuidiam ſiquidem virtutum exercitus ingens
Placabit vulgi penitus, claſſemq́ue ſeueram
Leniet obſequio quod poſtulet Adraſtia.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Regia mox iuueni clementia iure patebit,
Virtutis memorandæ hæc merx; Fiſcóque tuendo
Præſidium aſciſcet pariter fidumq́ue bonumq́ue.
Mox Crucis inſignis Diploma tuebitur idem.
Vincula diſſoluet cuiuſuis litis, eruntq́ue
Controuerſarum penes hunc arbitria rerum.
Dum vitat lites, lites moderabitur omnes.
Inde Noui prudens Orbis florere Senator
Aſpiciet ſocios, ac ipſe videbitur illis.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Hinc & opes priſcas ſuperabunt vſque recentes;
Magnificæ quamuis, meritis tamen vſque minores.

 Sic

Sic opulenta domus Iobi mala multa ferentis
Quondam etiam cecidit prolapſa à ſedibus imis,
Cùm decus extinctum natorum, armentaque abacta
Audiuit genitor nullâ irritabilis irâ.
Aſt tulerit quoniam caſus patienter acerbos,
Reddita ſunt illi cumulato fœnore plura.
Hic ſemel amittet cenſus licet ipſe paternos,
Sollerti tamen ingenio ac virtute decorâ
Fortunam latè poterit ſuperare priorem.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Sed grauiora vocant poſt hæc quoque munia, quando
Gallorum ad Regem Regis Legatus Iberi
Ibit, & Heſperiæ magnum decus inferet Aulæ.
Hinc nouus Orator turbâ comitante ſuorum
Tranſiliet montis iuga ninguida Pyrenæi.
Burdigala hunc primùm, pòſt magna Lutetia cernet
Talari indutum veſte & calcaribus aureis.
Rupellam Gallus tormentis ſternet ahenis,
Cui Regis iuſſu referet mandata; reuertet
Inde domum, celebri meritò cumulandus honore.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Hunc vbi iam firmata virum perfecerit ætas,
Diues, honoratus, comis gratuſque Camœnis,
Præſidiumque ſuis, Vrbi iucundus & Orbi,
Charus item Regi, Regali charior Aulæ
Viuet longæui Priami vel Neſtoris annos.
Moxque per Europen LAVRENTIS *nobile nomen*

Fulgebit

Digitized by Google

Fulgebit latè cum Lunâ & Sole, coruſci
Fulguris in morem, nulloque intercidet æuo.
Plaudite iam pueri rebus mea ſiſtra ſecundis.
Hæc ego Fatorum venientum præſcia proles
Auguris Ogygij, Iuno cui lumen ademit,
Certa nimis fundo vobis Oracla futura.
Gaudete hinc igitur mecum, longúmque valete.
Dixerat, & ſubitò in tenues euanuit auras
Par leuibus nebulis, volucríque ſimillima ſomno.
Mirata eſt omnis ſtupuítque exterrita turba,
Creditáque eſt tandem fugitiua hæc vmbra vetuſta
Mantûs Tireſiâ genitæ, cui Mantua nomen
Hæc noſtra, auſpiciúmque ſacrum per ſæcula cuncta
Debet; &, vt matri, meritos nos reddere honores.
Nec mirum, ſpecies oculis ſi talis inerret,
Ad nos cùm redeant ſimulato corpore Manes.
Nuper Auernales genij, laruæque minaces
Conſpectæ nitidi rutilâ ſub luce diei
Implerunt Latias ſæuis terroribus vrbeis.
Hinc Mediolanum portenta infeſta pererrant,
Nempe gigantea moles, vrſique, leæque
Auſu obuerſantes rapido, toruéque frementes,
Monſtriferæque acies noxis letalibus vrgent.
Scilicet execranda Ate de vertice Olympi,
Quam Deus extorrem Stygias detruſit in vndas,
Carcere quam cæco & vinclis conſtrinxit ahenis,
Tartareos ſoluit nexus rupitque catenas,

Digitized by Google

Et patulum fœdis afflatibus inficit Orbem.
O Superi, horrendum terris auertite monſtrum!
Sed bonus hic Genius præfatus blanda, tenacem
Verba ſecuta fidem nobis meliora retexit,
Cùm reliqui aſſiduè mendacia ficta loquantur.
Sæpè etenim noſtris interſunt Numina rebus,
Nec ſub nube cauâ, ſed apertâ in luce videnda.
Sæpè inter pugnas fulgentiáque arma IACOBVS
Hiſpani Præſtes populi, bellíque Patronus
Viſitur Heſperias animare in prælia turmas,
Hoſtiléſque globos ferro iugulare cruento:
Vtque olim à Mauris, trucibus tutatur ab Indis
Noſtrorum imbutos alienâ cæde maniplos.
Sæpè hodie viſus LVDOVICAE *Virginis ardor*
Xumanas hortari omnes quà Mænalis vrſa
Altior æquoreis nuſquam contingitur vndis,
FRANCISCI *accerſant Myſtas ſacróſque ſodales,*
Queis Ducibus CHRISTI *celeres vexilla ſequantur.*
Sæpè olim viſus rapidi Mauortis in armis
ÆMILIANVS *eques, multis poſt funera ſæclis,*
Noſtrorum armatas hominum ſeruaſſe cateruas.
Nunc contemptores ſimus quòd iuris & æqui,
Noſtra nec æthereis placeant conamina Diuis,
Vix Superi noſtra infenſi conſortia curant,
Nec ſe dignantur manifeſtâ in luce videri.

AD

Digitized by Google

AD EVMDEM EQVESTRI D. IACOBI MILITIÆ MATRITI ADSCRIPTVM VIII. KAL. OCTOB. M. DC. XXXI.

QValia Cælicolæ ceperunt gaudia Diui,
Audita eſt magni vt concio grata Iouis,
Iuſſerat inferri æthereis cùm numina templis
Alcidæ, inuitâ nil minùs Inuidiâ:
Talia tunc Proceres ceperunt gaudia Iberi,
Intonuit cùm vox Regia Iberiadis,
Quâ ſatis ingenuis adſcribi cœtibus aptum
RAMIRVM iuſſit, purpureiſque viris.
Hic meritò ærumnas cùm tot tolerarit acerbas,
Aemulus Herculei numinis eſſe poteſt.
Faucibus eliſis extinctus liuor ab ipſo eſt,
Anguis vt Herculeâ concidit icta manu.
Cetera quid memorem cuiuis notiſſima vulgò?
Nec numerari æquè mollis arena queat.
Rubro igitur LAVRENS latè micat enſe IACOBI,
Vt ſertis Victor comptus Apollineis.
Nempe triumphalem non tangunt fulmina laurum.
Eſt noſtri LAVRVS prouida cura Iouis.
Pinguibus in Pratis Laurus frondeſcit amœna,
Denſaque odoratis ſilua viret folijs:

Digitized by Google


Cum Sole ergo vago & latè radiantibus aſtris,
Dumq́ue nitens tacitas Luna reget tenebras,
PRATENSE *hoc perpes cum luce manebit Iberâ*
Nomen præclarum, nobile & ingenuum.
Scilicet hoc meruit mactari munere Virtus
Magnifico, & fulgor nobilis Ingenij.
Regius hunc Equitis ſplendor cumulauit honore.
Sic effert meritos, cùm lubet, Aula viros.
Regia contingit quidquid manus auráque, cælum eſt:
Aurea ſic reddit quæque metalla Midas.
Herculeos etiam LAVRENS *ſuperauit honores,*
Non magis eſt lautum, quàm ſupereſſe, mori.
Viuus hic atque videns Heroicus Indiges audit,
Morte obitâ Alcides fictile numen erat.

AVCTOR

Digitized by Google

AVCTOR HISPANIÆ SVÆ AMANTISSIMÆ INCOLVMEM OPT. PERENNITATEM.

QVOD *tua, chara parens, ſileant præconia fœnei*
Indigenæ, externi quæ cecinere viri,
Hæc tibi de multis tenui ſint dicta Camœnâ,
Immemores ne nos eſſe querare tui.
Docti plura canent meliùs, cùm plura ſuperſint
Quæ poſſint laudes tollere ad aſtra tuas.
Nam quale id memorem, Tyrijs cùm ſola benignè
Atque Palæſtinis aurea dona dabas?
Aucta vt Roma tuo nimiùm ſub milite & auro
Orbis multa ſibi ſubdidit Imperia:
Auſpicijs ſic nixa tuis Orbemq́; latentem,
Sideraq́; ignoti detegis vſque Poli.
Bis decies Sceptrum ſuperant tua Sceptra Quiritum,
Latiùs è Latio fulſit vbi Heſperio:
Perq́; tot ingentes tractus Terraq́; Mariſq́;
Chriſtiferæ oſtentas candida ſigna Crucis.
Salue igitur rerum columen ſublime, valeq́;:
Perpetuò hoc Superûm Rex velit eſſe tuum.



QVid dignum memorare tuis, HISPANIA, terris
Vox humana valet? primo lauat æquore ſolem
India; tu feſſos exactâ luce iugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu:
Diues equis, frugum facilis, pretioſa metallis,
Principibus fecunda pijs, &c. *Claudianus.*

LVD.

Digitized by Google

LVD. TRIBALDI TOLETI
IBERICA EPAENESIS.

MVſa mihi laudes memora Telluris Ibera,
Dum Canis arua coquit Mantoa, & pomifer amnis
Languidulos bibulis fluctus illidit arenis.
Populeâ hîc recubans verſus meditare ſub vmbrâ,
Qualibus Andinus cecinit præconia vates
Auſoniæ quondam, dum lauro innixus opaca,
Sirenum placidâ circùm ludente choreâ,
Littora proſpectat Surrenti, ignesq́ue Veſeui,
Pauſilypi de ſede cauâ, quà ſcrupea vel nunc
Antra viam pandunt ad ſtagna ſilentis Auerni.
Sed nimium poſco: mihi ſat faſtigia florum
Auſpice te carptim legere eſt, quibus alma creatrix
Natura hîc pollet. Nam queis ego verſibus æquem
Heſperiam tantam frugúmq́ue hominúmq́ue parentem?
Obſeruanda ſacri mihi ſunt monumenta Poëtæ.
Quo tamen opponam maiora minoribus, vt cùm
Me Maro carminibus ſuperet, ſuperare Maronem
Ipſe queam rebus: rebus ſuperare decorum eſt.

Iudice Virgilio, Medorum vt cedere ſiluæ
Italicis debent; me iudice, nec plaga cælo
Subdita quæ noſtris nondum ſit cognita nautis,
Nec Nouus ipſe Orbis, quà fecundiſsimus vſque
Vernat, & altorum nemorum latè explicat vmbras,
Præniteat priſcis læto licet vbere terris,
Arua nec Aethiopum nitidis opulenta metallis,
Nec quæ fila legit teneris de frondibus Eos,
Laudibus eximiis certent regionis Iberæ.
Hîc rerum omniparens genitrix locupléſq; feraxq́;
Ingentes cumulauit opes. Argentea pandunt
Brachia, & attollunt iuga montes aurea: quondam
Hîc etenim (nec vana fides) auroq́; liquenti
Argentoq́; diu fluxit ſcopuloſa Pyrene.
His ſolitæ in patriam grauidæ remeare frequenter
Sidoniæ Tyriæq́; rates. hac frater auarus
Ambiuit Didonis opes. Hinc nautica Regi
Turba Palæſtino theſauros attulit aureos,
Grandia ſidereo poſuit queis Templa Tonanti.
Flumina quid memorem totis radiantia ripis?
Nam neq; Pactolus poterit nec Lydius Hermus
Diuitias æquare Tagi gemmantis opimas,
Nec rutilas tumidus Sicoris quas voluit arenas.
Non latice hoc magici Stygis, aut ſquallentis Auerni,

Digitized by Google

Telchines ſparſere ſolum, nec odore mephitis
Sæua graui liquidè ſpirantes inficit auras.
Hæc manet Auſonios æſtiuo ſidere fines,
Cùm calidi & tetri perluſtrant cuncta vapores;
Aut quam perpetuò nobis parit Itala tellus
Imbutam inuidiâ ſobolem, Marſoq́; veneno.
Iugiter hîc fluctus liuent viridantis oliuæ.
Horrea quæque Ceres implet, caua dolia Bacchus.
Vndique Phæacas redolent pomaria ſiluas,
Ambroſioq́; halant fragrantia gramina odore.
Hîc nemus Elyſium meritò ſedeſq́; beatas
Eſſe olim cecinit magni vox Orbis Homerus,
Naturæ gaudentis opus: gemmantia paſsim
Prata virent, flores rutilant, arbuſta renident.
Rores Luna ſuos impertit ſuauibus herbis:
Sol teget, itq́; dies cælo ridente ſerena.
Lenè ſuſurrat apis, reſonant & acanthidis orni
Alticomæ lepidis garritibus, ac cypariſsi
Frondibus & ſalicis vocalis inerrat aëdon,
Arguto modulans operoſum gutture carmen.
Tum bifera hîc ficus ficum, tum poma laceſſunt
Poma, rubet pendens grauidis de vitibus vua.
Quis vitreos numeret fontes, fluuióſq́; perennes,
Nectaris inſtar habẽs queis pura immurmurat vnda?

Non

Non igitur mirum, lymphas ſi potet Iberus
Pragelidas., latices ſic omni ex parte ſuaues,
Vt Bromium ſuperent Celtarum & prælaVeſeui.
Non id ab Hiſpanis vinorum expreßit egeſtas;
Nam quæ terrarum plura aut meliora tulêre?
Sed quòd aqua, vt vinum cunctis præfertur Iberum.
Quis dignè irriguos amnes laudauerit vmquam?
Alluit ecce tuos Iader vt, Menralia, muros,
Rura ſuburbanus pariter tua fluctus opimat,
Aemula Achæmenijs, præſtánſve Valentia, Suſis.
Hîc greſſus glomerat magno trepidante tumultu
Armentalis equæ ſoboles, quam mater equorum
Corduba alit, paſcítque virens quam Caſtalus vnà
Prata per ampla cauis ſpirantem naribus ignem.
Hinc acres ſpectantur equi, ſiue horrida bella,
Seu læti hos maneant celebri certamine ludi;
Queis neque Gorgoneus rapido contendere curſu
Pegaſus, aut volucres auſint certare procellæ.
Equus Roderici Dias Viuarij cognomine Cid. *Non itaque indictus nobis erit ille Babæax,*
Bellatoris heri quondam pugnator Arion.
Quantus enim Phrygiã bellauit Xanthus ad Idam,
Bucephalus quantus Pellæum tergore Regem
Excepit, victórque tulit per tela, per hoſteis:
Tantus in hoſtiles ſolitus ſæuiſſe phalanges

Sub

Sub domino bellax fertur pugnante Babaax.
Gloria cornipedis ſola eſt ea prorſus Iberi,
Cui Natura dedit forma præſtare decore,
Humano penitus captu conſtare videri,
Præcipiti ferri violentos turbine in enſes,
Stare diu, mala dura pati, dominumq́ue tueri.
Talis ad occaſum Matamorus nomine pridem
Martius, & talos à vertice pulcher ad imos,
Fortiter occubuit curam quà geſſit herilem
Ille COLVMBINI *ſonipes; qui inſeſſa tenaci*
Stagna luto tranans, iaculis confixus acutis
Canibalum, properâ ſenſit ſe morte teneri.
Magnâ igitur lento eximit vi pectora limo;
Vtq́ue equitem ad ſocia incolumem citus arma reuexit,
Corruit, in refluâque animam exhalauit arenâ,
Dignior hoc propter ſtellis ardentibus addi
Bellerophonteo triplicis domitore Chimæræ.
Pauperis eſt pecudes poſſe enumerare vagantes
Per ſaltus & culta ſimul, quæ rore ſalubri
Imbuit Auroræ roſeus comes. Antè minuti
Pulueris expediam numeros, exponere pronum
Quàm mihi ſit fetáſve ſues, capráſve bicornes,
Lanigeroſq́ue greges, ſeu quos frondoſa Pyrenes
Silua tegit, placido tingit ſeu flumine Bætis

Equus Roderici Palomini celebris apud Indos.

D *Quos*

Quos pater, atque Tago natiuo oſtentat in auro.
Hîc armenta boum (quorum memoranda vetuſtas
Vim canit Herculeam pingues rapuiſſe iuuencos)
Tarteßi roſeas carpſere in collibus herbas.
Fuluus aper dumos atque inuia luſtra pererrat.
Exagitat campo lepores venator aperto.
Obſidet hac mollis ſinuata cuniculus antra:
Hac agit excubias grus, hac ſtrepit anſer obeſus:
Pérque imas valles & amantes ardua vepres
Dædala nidificat perdix, aut ſæcla volantum
Partubus indulgent, mulcéntve ſonoribus auras.
Sed thyma, ſed caſiam mitem, rorémque marinum
Florilegæ populantur apes; ſcopulíque minantis
Per latebras, quercúſve cauas, mella aurea condunt.
Hîc non Armeniæ poſuere cubilia tigres,
Pœnorúmve minax latè fremit ira leonum:
Non dira Heſperios pennis ſtymphalis inumbrat
Aeriſonis; pauet hîc nemo ſæui ora draconis,
Nec gelido afflaſti quemquam, baſiliſce, veneno.
Herbida vipereis non vſquam fetibus iſta
Squallet humus. Cerui imbelles, damæq́ fugaces,
Mitéque perpetuò ſtabulat genus omne ferarum.
Lunatæ hîc tantùm ſurgens in cornua taurus
Horrendùm mugit, pedibúſque inſultat arena,
Cùm

Cùm primùm ad circum ſiluis deductus ab altis,
Vocibus excitur clamantis ad æthera turbæ.
Robore non illi Marathon, non cærula Crete
Certet, non Cretes monſtrum ſub imagine Tauri.
Vtq; ſolent trucibus per pinguia paſcua barris
Cedere Zeilani reliquis in partibus orti:
Sic etiam Hiſpanis debent concedere tauris
Armenti reges quos educat Orbis vterque.
Sæpè Columbeidis vaſtis telluris in oris
Terrigenas æſtus ſolis flagrantis adurit;
Aut locus arboribus denſus, latéque paluſtris,
Infeſtos generat culices, muſcáſque proteruas,
Quæ lacerent homines nec non iumenta: ingoſis
Adde etiam in ſiluis angues latitare minaces,
Dentatáſque ſimul tigres, aliáſque ferarum
Errantum ſpecies, illic mortalibus agris
Delendis natas; à noſtris prouida terris
Quas verè Natura parens procul arcet agítque.
Non hæc infamis, ſed Iberia tota venenis
Pontica ſæpè fuit, vigili cui nænia cura.
Non hîc infeſtas imitantur Colchidis artes,
Pignora nec matres rabie ſtimulante trucidant.
Non Regum infandâ ſparguntur cæde Penates,
Tullia nec patrios carpento proterit artus,

Impia Tantalidæve accurant prandia fratres.
Non vſquam immeritis inimicâ lege maritis
Tecta Semiramij populant ὀρχείδια cultri.
Non hîc Antiphates ferus excubat, aut Polyphemus,
Humana vt mandant rabioſis dentibus exta.
Hoc genus Auſonidæ iactent, Siculiq́ue cruenti,
Quà peperit crebrò, dum floruit vtraque tellus,
Immanes Cacos, Laſtrygonas atque Cyclopas,
Infandos, vaſtos, immanſuetoſq́ue Cyclopas,
Fulmina terrifico ſolitos fabricare ſub Aetnâ
Nocte dieq́ue Ioui, totum queis perderet Orbem:
Longiùs Hiſpanis hæc monſtra à finibus abſunt;
Non quæ multa viris largitur munera Iberis
Terra potens rerum, cuius per pinguia rura
Hac chalybem vena eructat, durum altera ferrum.
Hac minij eruitur, ſalis illac copia diues.
Cannabis inde ſeges viridis, ſpartiq́ue comantis
Fluctuat, hinc lini tenuis lenteſcit ariſta.
Hinc apibus florum prorumpunt agmina; & inde
Per ſalebras numquam faciles, & inhoſpita teſqua,
Arborei frutices, iniuſſaq́ue germina ſurgunt.
His validos addes pontes, adde oppida & arces
Hærentes ſcopulis, nec non munita ſupinis
Caſtella in tumulis, vno quæ nomine gentem

Diſclu-

Diſcludunt, varieq́ue vocant Veteremq́ue Nouamq́ue.
Quis memoret rupes ductas ad ſidera, ſaxis
Conſtrataſq́ue vias, quas olim caſtra Quiritum,
Dum Pœnis bella inferrent fallacibus, ipſis
Deteriora magis latè ſtrauere? per omnes
Tunc etenim populos prædatrix turba Quirini
Graſſabatur ouans; & quos ſine more fugabat,
Mox implacatos à tergo horrebat Iberos.
Vix vmquam innumeras numero cõprenderit vllus
Turribus incinctas ſeu nudas mœnibus vrbes,
Pacis opus placidæ pulſis procul hoſtibus Afris.
Quas (licet omnigenis coniunctim rebus abundent)
Diſperſè nota illuſtrant diſcrimina. Namque
Regia MATRITVM *ſedes commendat opimum.* Madrid.
Deſcendens MARIA *æternat Tẽplumq́ue* TOLETVM. Toledo.
Fictilis exornat LIBORAM *ditatq́ue ſupellex.* Talauera.
ALCORCON *fingit quas vix rogus atterat aulas.* Alcorcon.
Biblica COMPLVTVM, *Patrúmq́ue arcana recludit.* Alcala de Henares.
ARRIACÆ *gratus cremor eſt, molliſq́ue placenta.* Guadalajara.
Marmoreis tumulis ornata SEGVNTIA *claret.* Siguença.
Magnifica aëreo eſt ſolidóq́ue SEGVBIA *ponte.* Segouia.
Nomine nobilitat VICVM *& re exangue* CVMINVM. Santa cruz de la Carça.
Indigenas reddunt alacres MARTINIA *vina.* San Martin.

Cuenca. *Textilibus varios inducit* CONCHA *colores.*
Sanclemente. DIVE *tuos* CLEMENS *hilarat Vindemia cives.*
Valaderey. *Regia* VALLIS *habet frangenda ad farra molares.*
Pozo amargo. *A plebe ingenuos* PVTEVS *ſeiungit* AMARVS.
Siſante. SISANTO *fauet impenſè Bromiuſq́ Cereſq́.*
la Roda. *Frumēto & ſparto redimit* RHODA *tēpus vtrumq́.*
Albacete. *Frugiferens proprias miratur* BERGVLA *meſſes.*
Alarcon. *Te ſitus abruptus fruticoſuſq́ ambit* ALARCON.
Villa nueua de la Xara. VILLA NOVA *eſt* LADANI *Piceis oleiſq́ redundans.*
Teuar. *Triptolemus* THEBAR *tutatur, Pallas & Euan.*
el Picaço. *Grandia* PICCATIVM *fert mala Cydonia paruum.*
el Touoſo. *A tophis dictus populus caua dolia conflat.*
Çaragoça. SALDVRA *Auguſtam veneratur prima Columnū.*
Garay, ò Soria. *Tollit in aſtra prius mutata* NVMANTIA *nomen.*
Taraçona. *Temperiem ferro præſtat* TYRIASSO *rigentem.*
Barcelona. *Dives opum vitreis pellucet* BARCINO *conchis.*
Ampurias. EMPORIIS *lini ac herba ſeges horret Ibera.*
Girona. *Francigenæ intereunt muſcâ inſectante* GERVNDÆ.
Valencia. *Virgo* VALENTINIS *lætatur Ibera cothurnis.*
Denia. DENIA *naufragum ſpeculatur ab arce profundum.*
Monviedro. *Præfecti Salomonis habet monumenta* SAGVNTVS.
Tortoſa. *Lumine* DERTOSAM *radioſo marmora inaurant.*
Xatiua. *Linea terrigenis ſudaria* SÆTABIS *aptat.*
Murcia. *Mollia bombycis* MENLARIA *vellera carpit.*

CAR-

Digitized by Google

CARTHAGO *inſignem portum venientibus offert.* Cartajena.
ORCELIS *exculta eſt veteri vicina Bipaſtro.* Origuela.
Nomine mutato ac domino manet ampla BIGERRA. Villena.
CHRISTIFERÆ *ſplendore crucis* THEDOMIRA *coruſcat.* Carauaca.
Nectareos ſuccos ALONE *& ſaccara condit.* Alicante.
TARRACO *non ulli eſt umquam ceſſura lyæo.* Tarragona.
Quiſque DARÒCÆÆ *miracula ſuſpicit urbis.* Daroca.
IACCA *cluit priſcis hodiernis inclyta alumnis.* Iaca.
Otia Pimplaïs ponit prior omnibus OSCA. Hueſca.
SERRATO *in* MONTE *aſtrigera ſtat Virginis Ara.* Mon Serrate.
Aurifluum Sicoris permulcet murmur ILERDAM. Lerida.
Vellera forficibus tondet Nepheleia LOBETVM. Albarrazin.
Omnibus antiſtant linis BELSINIA *lina.* Borja.
Portendit nolâ mala vel bona CELSA *futura.* Vililla.
TVRDETVM *geminis ſuffecit amantibus unum.* Teruel.
Bilbilis Auguſta durantur in amnibus ara. Bon bola, ò Calatayud.
CASÇANTO *Pomona ſuâ dat ab arbore poma.* Caſcante.
Clara ſuo gaudet CALAGVRRIS *Quinctiliano.* Calahorra.
Splendida ſit LERGÆ IVRISSA *ob nomen alumni.* Sangueſa.
MATVTE *Arpinum* SECVRÆ *prouocat umbra.* Matute.
Sanctius uſque BROCAS *decorat noméng; Brocenſe.* las Broças.
PINTIA *Vacceis pariter ius dicit utrumque.* Valladolid.
ELDANA *dat cuiuis piſces maris alta recenteis.* Dueñas.

MAR-

Digitized by Google

Pamplona.	MARTVA *caſtra ſuis inimica à ſedibus arcet.*
Burgos.	*Spirat adhuc Comites* BRAVVM, *Martemq́ cruentũ.*
Nueſtra Señora de Tiermes.	*Nomine Virgineo* TERMANTIA *perſtat Iberis.*
Palencia.	PALLANTINA *fouet lodix data corpora ſomno.*
Carrion.	CARRIO *non Comitum* LVDOVVICAE *eſt Virginis ædes.*
Cerrato.	*Suppeditat vicus* CERRATVS *Hymettia mella.*
Medina del cãpo.	METHYMNÆ *amplificãt diſtracta volumina cẽſum.*
Vitoria.	VELLICA *laudatis populi res legibus arctat.*
Vergara.	*Scripturis cultros* VERGARA *propagat acutos.*
Toloſa.	*Omnibus arma parat Cantabrica dura* TOLOSA.
Santander ò Bilbao.	EVCHYMVS *in cælum te* FLAVIO-NAVIA *tollit.*
Toro.	*Vber amat* SARABRIS *tumidas in vitibus vuas.*
Çamora.	SENTICA *cæruleis præſtat pulchriſque lapillis.*
Plaſencia.	*Medorum certat fecunda* PLACENTIA *ſiluis.*
Olmedo.	VLMETVM *circum robuſta Radicula frondet.*
Auila.	*Cœnarum Salar eſt primas*, ABVLÆQVE *Voluptas.*
Santiago.	*Oſſa tui clarant te*, COMPOSTELLA, IACOBI.
Orenſe.	*Letifera Amphilocho vrbs agris ambitur amœnis.*
la Coruña.	*Præda* BRIGANTINO *in portu piſcoſa perennat.*
Lugo.	*Cernitur aſsiduis* SEXTI BONA GRATIA *in* ARIS.
Ouiedo.	*Cælituum manibus colitur Crux facta* BRIGÆCI.
Leon.	*Regificis* LEGIO *tumulis, templiſq́ decora eſt.*
Salamanca.	*Cæſarei ſoluit nexus* ELMANTICA *iuris.*

Terga

Terga boum nudis macerat NERTOBRIGA *plantis.* Frexenal.
Ditibus Europen locupletat claßibus HISPAL. Seuilla.
Splendidè OLIVARES *ornant Palláſque Ceréſque.* Oliuares.
LVÇAR MAIOR *ouat* DIVVS, *gaudetq́; trapetis.* S.Lucar mayor.
Grata dedit Liguri gemmantem ABDERA *catinum.* Almeria.
Serica GARNATÆ *póſcunt geſtamina ſura.* Granada.
ARTIGIS *aſpellat curas, thermíſque caleſcit.* Alhama.
Saxa videt mirè palmas referentia MVNDA. Monda.
CARTIMA *flauicomis producit amygdala Belgis.* Cartama.
SINGYLIAM *celebrat medicata largus aqua fons.* Antequera.
Docta cothurnatis operatur CORDVBA *Muſis.* Cordoua.
Fecundam ſcropham ſpicáſque oſtentat OBVLCO. Porcuna.
XERA *ſibi annonam ſeros conſeruat in annos.* Xeres.
Oſtendit faculis cineres vetus VRGAO *Diuûm.* Arjona.
Arganthoniacos iactat CARTEIA *nepotes.* Aljezira.
Fulget præcipuis Parnaßia CASTVLO *ſignis.* Cazlona.
EMERITA *emeritis domus ingens, ponte ſuperbit.* Merida.
Vt ſchola ſic typus eſt magna tibi BÆCVLA *laudi.* Baeça.
Paſcendo pecori aßiduè vacat ASTYGA *ouillo.* Ecija.
Culta ad AQVAS LVPIAS *Maria præfulget imago.* Guadalupe.
Meßibus ILLVRGIS *flauet, ſed ſplendet oliuâ.* Andujar.
Protegit egregiam Tereſia cælitus ALBAM. Alua.
ASSAFRA *eſt pecoris, niuei quoque lactis abundans.* Çafra.
MALACHA *delicijs pelagi Bromiíque referta eſt.* Malaga.

E *Regia,*

Iaen. *Regia, ceu quondam, præfert diademata* ORINGIS.
Lebrixa. *Stat* NEBRISSA *potens Satyris, Thyrſiſq; Thyoneis.*
Liſboa. *Plurima Gangaridum merx* VRBEM *ditat* V-
LYSSIS.
Coimbra. *Sacra cerebrigena* CONIMBRICA *prouida diua eſt.*
Braga. BRACCARA *Principibus vel nunc tumet vſa Süeuis.*
Alcaçar de Sal. *Te ſal illuſtrat vicina* SALACIA *Nereo.*
Silueira. *Cordyllis cumulata ſuis* OSSONOBA *floret.*
Setubal. *Vbere cetorum eſt locuples* CETOBRIGA *fetu.*
Bragança. *Seriadum ſpolijs matrum* BRAGANTIA *creſcit.*
Eluas. ELVAS *Palladio præpollet diues oliuo.*
Viſeo. VISENSIS *cineres Roderici* VRBS *Regis obumbrat.*
Leirîa. *Indigenis texit trabibus* LEIRIA *carinas.*
Lamego. *Pampineis grauida eſt intonſa* LAMECA *racemis.*
Eſtremoz. STREMVNTIS *figlina rubet, ſed marmora candent.*
Oporto. *Exacuit* PORTVS *cultellos dexter ahenos.*
Portalegre. PORTA HILARIS *textis facta eſt celeberrima pannis.*
Belas. *Perſpicuis* IDRONA *ſcatet roſeiſq; hyacinthis.*
Ocrato. *Cryſtallo* OCRATVM *prorſus candente niteſcit.*
Beja. IVLIA PAX *auri præ cunctis nota fodina eſt.*
Borba. *Cyanei viridis* BORBÆ *ſunt dona lapilli.*
la Batalla. *Naſcitur ad* STADIVM PVGNAX *tenebroſa ga-
gates.*
Lagos. *Marmore multiplici pictoq;* LACOBRIGA *conſtat.*

Liuenti

Digitized by Google

Liuenti fœta eſt liquidoq́; ARAMENIA plumbo. Arameña.
VLIA poturis variè caua pocula fingit. Montemor.
Mellis opes flaui redolentes præbet ARANDIS. Torres vedras.
Irenen SCALABIS veneratur in amne ſepultam. Santaren.
Belli EBORAM ſedem Sertorius exul honorat. Euora.
Septena ESCORIAL miracula continet Orbis. El Eſcurial.
Cetera mitto loqui populorum commoda, magnis
Pòſt dicenda viris, paucis meliora ſequemur.
Singula quæque plagis alijs ſua dona dedere
Cælicolæ, quando tantummodò melle Calydnam,
Æthiopas milio dignantur, vellere Seras.
Punica Carchêdon fert mala, oleumq́; Venafrum.
Frugibus exuperat Babylon, cycniſq́; Cayſter.
Eſtq́; frequens ceraſis Ceraſus, Phœnicia cancris.
Murenis fruitur Drepanum, Dodona columbis:
Taygetus canibus rapidis, Meuania tauris.
Lilia luxuriant Suſis, corruda Rauena.
Atlantis citrus laudatur, laurus Olympi.
Cannabias nutrit ſegetes, ſiluáſue Sabinus.
Nobilis eſt Perſis gazâ, Campania thermis.
Hic penitus toto ſe fundit Copia cornu,
Iſta quòd obueniunt maioraq́; munera Iberis.
Nam quæ frumento aut auro fœcundior ora?
Quænam velleribus melior, maliſq́; ferendis

Digitized by Google

Aptior omnigenis noſtra eſt? Vbi florea mella
Vberiùs rupéſve caua vel robora celant?
Pluribus aut cycnis vbi flumina glauca natantur?
Multa referre licet; tamen hæc dum plura ſuperſunt,
Pauca vocet quiuis; ſed pauca referre licebit:
Nam reliqua ob numerum præſens in tempus omitto.
Nullâ parte ſui viduatur frugifer annus.
Sic roſeis nectit ſertis caua tempora Aprilis,
Meßibus horreſcit paßim vegrandibus Aeſtas,
Exprimit Autumnus calcatis præla racemis,
Nec riget acris Hiems rutilis tepefacta caminis.
Plurimus hîc oleæ veſtitur germine campus:
Plurimus hîc vitis veſtitur palmite collis.
Noſtra racemiferum ſuperant vineta Timolum:
Noſtra Venafranas contemnit Pallas oliuas.
Hinc oleum vinumq́; petit ſæpè Itala tellus,
Et Galli, & Belgæ, & Cimbri, pictíque Britanni.
Sæpè Scythas, Arabasq́; vagos, Libyesq́;, Getáſque,
Sæpè itidem Græcos, & Pœnos, atque Latinos,
Sæpè Syros alióſque illexit Iberia diues
Ad ſe opibus nimijs, cælíque ſalubribus auris:
Huc & Agenorides Phœnix, huc venit Hebræus,
Vbertate ſoli, ſimul auri & motus amore.
Ille prior Gadir condit, Sidonáque, & vrbeis

Illu-

Digitized by Google

Illuſtres alias: huic eſt fundata vetuſta
Tarraco, & Aceca, & patriâ quoque voce Makeda:
Et quas prætereà fugiens ſecum abſtulit ætas.
Hæc etiam nobis multa & mira abſtulit olim,
Noſtrates quorum tenet ignoratio mentes:
Quæ ſi nota forent, tabeſceret hoſpes vt hoſtis
Inuidiâ, attonitúſque palàm muteſceret Orbis.
Non ſæui hîc perflant montana cacumina venti,
Præcipitéſve ruunt gelidis de nubibus imbres
Sæpiùs, aut ſubitis feriuntur plana procellis;
Qualibus vmbriferas ſiluas, Alpéſque cieri
(Quas prior Hiſpanâ vidit de puppe Columbus)
Fama refert, qualéſve expertus Belgicus axis
Non ſemel eſt, Gallóſque premunt, vaſtántq; rigentes;
Sed placidè vt ſpirat genitabilis aura Fauonî,
Cuncta madent pluuijs per prona cadentibus arua.
Frugifera hîc radijs Hyperionis æquora puris
Mulcentur: celſi montes, valléſque profundæ
Non vmquam lentè nebulis vmbrantur opacis.
Hæ loca ſenta vluâ, cœnóque obducta paluſtri,
Vallibus in medijs piceis horrentia ſiluis,
Obſidunt: tepido hîc luſtrantur ſingula Sole
Ardua, plana ſitu, teretíſque tumentia cliui
Dorſa, virens collis, tractúſque viroribus impar.

Nec tamen almus ager rapido torretur ab æſtu,
Diſsiliunt alibi quo feruida ſaxa calore,
Atque incenſa palàm Phœbeis ignibus ardent;
Excipit has quoniam cœli indulgentia terras,
Temperiéſq; fouet veris ſata cuncta benigna.
Quis mihi ſtagnantum referat miracula aquarum,
Perſpicuóſq; lacus? te quem videt horridus Aſtur,
Siue Valentinis, te Portus maxime, in oris,
Cærula quem tacitum pelagi circumſtrepit vnda?
Quis mihi piſcoſas numeret placidáſque paludes?
Quis maris interni portus, portúſque ſonori
Oceani memoret? ſinuoſáque littora Protei
Quadrigis luſtrata citis? non ille natantum
Heſperio plures paſcit quàm gurgite turmas.
Has Neptunus amat ſedes. margo omnis abundat
Æquoreis ſpolijs. veniunt ad pabula thynni
Bætica: nobilitat ſcombrus Carthaginis oras,
Santander, y Coruña. Euchymus Antequiam, longus Pharia æquora conger.
Excubat hic Martis ſoboles generoſa frementis
Impauida, armipotens, duro gens aſpera bello,
Aut clypeum ferre aut validam tractare bipennem
Apta, vel infeſtâ concurrere cominus haſtâ,
Quadrupedémve ferum rigidis vrgere lupatis.

Quem

Digitized by Google

Quem te armis dicam, Caſtella vtriuſq; colone,
Cuius in aduerſum vibrata eſt lancea Maurum?
Quem tibi ferrigenis non fruſtrà in montibus orte
Cantaber eſſe parem ſtatuam? Nunc Bætica pubes,
Lyſiadumq; ferox patriâ virtute iuuentus
Iure canenda foret; tamen hinc excludor iniquis
Iam ſpatijs, noſtros onus hoc numeroſq; humeroſq;
Debilitet: bello at clarum, populumq; potentem
Non ego tranſiliam, falſo quem nomine produnt
Celtarum quidam ſociatum nomini Ibero.
Num cum prævalido Celtes certaſſet Ibero,
Deq; ſolo auderet iuſtâ concurrere pugnâ?
Celticus eſt priſcis habitator quilibet ora
Extremæ Europes, non Gallus protinus hoſpes
Quicumque in noſtros penetrauerit aduena fines.
Nec Diodorus enim nouit, nec Silius olim
Cantabricæ veteris virtutem vimq; loquelæ.
Cantaber eſt primus ſermo vulgatus Iberis.
Zaldia cornipedem ſonat hinc vox ſumpta ferocem,
Ibarra vt vallem ſignat, ſonat Iria vicum:
Zaldi igitur Baria hîc populus ſit vallis equinæ;
Celtiber hinc factus (detortâ voce Latinus
Priniſtum Præneſte vocat ſic, χαῖρεq; Care)
Dictaq; Zaldiuar priùs eſt, Salduba deinde

Cæſaris

Cæſaris Auguſti mox vrbs cognomine clara,
Cùm proprium vallem ſimularet nomen equorum.
Hellados aſt Hermes, Latijq́ ignara Thalia
Celtarum nomen ſociauit nomini Ibero.
Silius hoc falsò tunc dixit, veriùs illud:
Pyrene celſâ nimboſi verticis arce
Diuiſos Celtis altè proſpectat Iberos,
Atque æterna tenet magnis diuortia terris.
Iſta Numantinos igitur plaga neſcia vinci
Duxit ad arma viros. hinc ſe probat alta Saguntus.
Prætulit hanc meritò reliquis Sertorius olim,
In Martíſque lupos Martes armauit Iberos;
Pompeiúmque prior docuit ſuperarier acrem.
Scipiadæ hîc fratres acie cecidere cruentâ.
Non alius vaſti populus ſub cardine cæli
Latiùs Hiſpano imperium diſperſit in oras,
Quas Sol cumq; videt rutilans, fouet, angit, obítque,
Vnde cadens ſerus retegit noua lumina Veſper,
Vſque ad nigra virûm percoctáque ſæcla calore,
Quaq́ Aurora ſuâ Phaëthontis luce colorat.
His etenim preſſus velut arcto limite Mundi,
Ipſe ſuis alium auſpicijs peruenit ad Orbem;
Quò neque fama prior ventoſas ſuſtulit alas,
Fluctiuagúſve cauis ratibus penetrauit Vlyſſes.

Quò

Quò nec Elyſai fecerunt vela magiſtri,
Nec tu Perſa ferox, nec tu Romana propago
Acceſti; cuius per climata didita mundi
Imperij moles, quota pars iam molis Ibera eſt?
Hos prior abreptus Cauris Alphonſus ad Indos
Sanctius, ac Huelua ſatis hoc cognomine notus
Nauita, ſigna redux dederat manifeſta Columbo:
Qui mox regna vagus viridis per cærula Nerei
Cycladas inuentas retulit, longéq; repoſtos
Vltra anni ſoliſq; vias, populóſq; viróſque.
Dicere nemo queat queis omnia rebus abundent
Plurima quâ Hiſpano circumdatur inſula ponto.
Cenſentur fundâ Baleares; ſed ſale puro
Eſt Ebuſus fecunda ſatis: iam fertilis agri
Formentera vacat timidis inſignis onagris:
Suppetit & ſcombros Scombraria glauca ſaporos.
Excubat Errori cognominis inſula in alto
Quæ Libycas ſimul atque oras ſpeculatur Iberas.
Emporia illuſtres celebrant Aſiatica Gades.
Sunt ſtanno dites & plumbo Oeſtrymnides vda.
Fas mihi nec fando eſt tanta regionis obire
Singula, centenas quamuis è pectore voces
Effundat, totidémque tonet facundia linguis.
Hac & OPHIR fulua eſt, hac eſt argentea THARSIS,

F *Qua*

Quæ Solymis aurum, gemmas, pauóſque ſuperbos,
Simiolos, Thynáſque trabes ſuffecit, ebúrque.
Mortales quondam terræ omniparentis alumni,
Mirifici portenta operis rigidíque laboris
Diuerſis ſtupuere locis. Rhodos alta Coloſſum
Oſtentauit ouans; Epheſus quoque templa Dianæ:
Vidit Olympiaci ſignum Iouis Elis eburnum,
Pyramides Nilus, Babylonis mœnia Tigris.
Mauſolo excultum Leleges ſtatuêre ſepulchrum,
Delos item Triuiæ dextris de cornibus aram.
Omnia ſed caries, tempúſque vorauit auarum.
Quæ tamen Hiſpanas perſtant miranda per oras
Térque quatérque ſimul, non vlla aboleuerit ætas.
Chloridos hîc domus eſt, Zephyríque palatia quando,
Et Gadir pelagi ſeptum, Solíſque cubile.
Subtus condit opes opulenti Regia Ditis,
Et Tagus in ſabulo voluit pretioſa metalla.
Cornipedes generat volucres leuis aura Fauonî.
Perfluit Elyſios Lethe leni agmine lucos.
Bæticus eſt aries radianti concolor auro.
His collata globi veteris mira omnia fumum,
Aut nebulam, aut citiùs nihil eſſe fatebimur vltrà.
Nec tamen Herculeæ fauces, teretéſque columnæ,
Nec venit in cenſum hunc latitans hucuſq; recénſque
Orbis

Digitized by Google

Orbis ab Hiſpano patefactus milite, necdum
Laurenti erectum templum regnante Philippo,
Singula quæ vaſti ſuperant miracula Mundi.
O fortunati Heſperij, bona ſi tua norint
Cura Deûm requieſq; hominum Tharſeïa ſedes:
Nobile cuncta tuum celebrabunt ſæcula nomen.
Te cultu exornat Tharſis prior omnibus iſto;
Non Tubal ipſe alios Aſia qui condit Iberes:
(Vox eadem impoſuit noſtris Scriptoribus:) vltrò
Te beat ipſa Pales, frugum te Diua creatrix:
Vitiſatórque pater poſitis ſimul inſidet Indis,
Geryonéſque colunt concordi fœdere fratres.
Vis quoque Titanum fracta in Tarteßide ſiluâ
Prælia cælicolûm tecum reuerenter adorat.
Frugibus inuentis leges tibi donat arandi
Priſcus Habis, Phario numquam ceſſurus Oſiri:
Priſcus Habis, natâ quem ſæuus Gargoris ortum
(Gargoris Heſperijs qui mellis præbuit vſum)
Deterior fatis nullâ expugnauerat arte.
Te veteres tenuere diu Curetes, eamdem
Bæticolæq; Patres, quos Arganthonius heros
Excipit, annoſo dum Neſtora prouocat æuo.
Primus quiſq; ſua molitor & arbiter vrbis
Teucer & Aeolides quondam tibi venit Vlyſſes.

 Omni-

Digitized by Google

Omnibus at prior hæc cum fratre meauit Elyſſus.
Quid nunc Romuleos tandem retuliſſe tumultus?
Quid Geticos, Libycóſue iuuat? te prætulit Orbis
Ipſe ſibi, miſsis procul in tua rura colonis.
Quod tamen eximium cuncta hæc ſupereminet, edam.
Hic colitur caſtè rerum dominator & auctor,
Chriſtiadumq́ pio luſtrantur carmine Manes.
Priſca fides nullam patitur labémue notámue:
Scilicet antiquum ſeruant pia iura tenorem
Tarpeiæ ad nutum vigilis qui præſidet arci.
Exulat impietas auidos horrenda per ignes.
Soluunt ſacrilegi meritas pro crimine pœnas;
Thuráque Diuorum cultas adolentur ad aras.
Hinc geminũ volitant CHRISTI vexilla per orbem,
Eripiúntque homines Orco, cælóque reducunt.
Hic laudum cumulus celebri penſatur honore,
Has Superi donis quando cæleſtibus oras
Accumulant, validáſque iubent ſibi ſubdere gentes,
Innumeras æquis moderantes legibus vrbes.
Hic pietatis honos has ipſa in ſceptra reponit.
Sæpè quidem miles, dura inter prælia, numen
Aemiliane tuum vidit, numénque Iacobi
Propugnaſſe ſuos medio in certamine Iberos,
Cædéque fallaces acri ſtrauiſſe cohorteis,

Mar-

Digitized by Google

Marmaridûm fuſis cuneis, Macetúmque cateruis.
Salue clara Ducum genitrix Hiſpania, magnum
Tu Viriatum olim, Megarámque potentibus hoſtem
Romulidis, dominóſque diu das inclyta Diuos.
Tu quoque Conſaluos Brauo, tu poſtmodò Cidos,
Heröéſque alios gignis: tu ſceptra tremendis
Principibus dedis. Tu maxima nomina Carlos
Quinctos quoſque tuis tribuis, magnóſque Philippos,
Auſtriadúmq; Domum, famam qua terminet aſtris.
Hinc igitur Quartus magnâ cum laude Philippus
Imperturbatas rerum moderatur habenas.
Nec tantùm extremis Orbis modò victor in oris
Lauriger ardenteis circumfert ſigna per Indos,
Quos oriens paritérque cadens Sol aureus ambit,
Sed Libyam armiſonis latè terroribus implet,
Germanóſque truces domitat, Batauóſque rebelles.
Térque quatérque decens ſalue flos terrigenarum,
Grande decus pacis, belli quoque lumen vtrumque,
Gloria terrarum, fax es praui inuida ſacli.
Nemine tu, totus ſed te ſimul indiget orbis:
Non ſimilem Natura etenim tibi protulit vmquam,
Largiùs aut alibi fudit ſua munera calum.

Digitized by Google

Non fecit taliter omni nationi. Pſal. 147.

MVlta & mira ſimul totus complectitur orbis,
Siue ſit iſte Vetus, ſiue ſit ille Nouus.
Cuncta ſed Hiſpanæ cedant miracula terræ:
Natura hîc poſuit, quidquid vbique fuit.

HISPANIÆ breuius encomium.

HEroüm ſedes, domitrix vaga terrigenarum,
Quæ premit imperio Solis vtramq; domum:
Vltima terrarum quondam, ſed prima virorum
Vſque Parens, Nemoris flos nouus Elyſij:
Europæ terror, Libyes timor, atque Aſiæ horror,
Et metus inde plagæ peruigil Auriferæ:
Quæ totidem ſuperet ſeptem Miracula Mundi
Tempe, Oue, Equo, Orbe nouo, Sole, Tago, Zephyro:
Claſſibus auriuehis quæq; æquora tota pererret,
Magnus opum Magnes, magnus honoris honos;
Vt caput ipſa noui, veteris ſic Orbis ocellus,
Optima Telluris portio multiferæ.
Quæ ſit fortè roges: vis iam, Roma inuida, dicam?
Quæ tibi voce minor, maxima re Heſperia.

Infini-

Infinitum clariſſimumq́ue HISPANÆ GENTIS IMPERIVM laudatur.

HEſperiæ numerare velit qui ſceptra potentis,
Vltima quam refluï verberat vnda freti,
Hic numeret bibulas deſerto in littore arenas,
Quótque vagis tumeat fluctibus Oceanus.
Aſpice ſtelliferi ſinuoſa volumina cæli;
Hæc habet eximij quidquid vbiq; boni eſt.
Nam ſeu te tractus, generoſáque nomina tangunt,
Imperat Eois, imperat Occiduis.
Seu te nobilium ſoboles delectat auorum,
Imperat hæc Graijs, imperat Auſonijs.
Seu tibi luctiferi placet inclementia Martis,
Sanguinea hæc populo cum truce bella gerit.
Talis equûm domitor Friſius, Batauuſq́; rebellis,
Quiq́; minax Belgis imminet Angliades.
Quiq́; furens gladius nos numquam impunè laceſſit
Mulciberi incoctus fornice loripedis,
Imperij cupidus fruſtrà rerumq́; nouarum,
Intra vaginam qui latet vſque ſuam.
Hinc, paucis ſi vera libet ſine fraude fateri,
Imperat vt terris, imperat ipſa mari.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Libyen, quacumque iacet contermina ponto,
Luſtrat, & inſolito continet officio.
Nunc premit Aethiopas bello, Turcáſque feroces,
Nunc Arabum calido ſanguine tingit humum.
Hæc Aſiæ pollentis opes feliciáque arua
Poßidet, atque amnes, decolor Inde, tuos.
Hæc quoque veliferis pelagus domat omne carinis
Taprobanes penetrans, Gangaridûmque ſinus.
Quin modò ſiqua latet mortalibus abdita tellus,
Tandem illa Hiſpano eſt iure premenda iugo.
Inſulæ & in medio virides ſtant æquore ſiluæ,
Fluctiſonis Pyrois quà prior extat aquis.
Belliger hîc latè populi moderator Iberi
Imperat auſpicijs, Magne Philippe, tuis.
Se capere haud poſſet veteris quòd limite mundi,
Ipſe noui imperium protulit Orbis Iber.
Annuit optatis huius dominator Olympi,
Fluctiuago vt ventis ſub duce vela daret.
Soluit ab occiduo violenti littore Nerei
Per maris ignotas claßis itura vias.
Inde recedentem vix paſſa occumbere ſolem,
Retrò ipſum fermè eſt iugè ſecuta die.
At vos, Pinzones prælustria nomina fratres,
Emenſi decorent præmia digna maris.

Gloria

Gloria Baticolûm vos eſtis maxima, quorum
Integer eſt Orbis debitus auſpicijs.
Nam cùm cœpiſſet nimiùm tædere Columbum
Ancipitis, longæ, difficiliſq; viæ;
Exterrere auſi Ligurem verbiſq; miniſq;,
Feciſtis cœpta vt nautica perficeret:
Nec dubitaret iter vaſti abſoluiſſe profundi,
Hunc circum quamuis mortis adiret iter.
Ergo ille impulſus veſtris hortatibus vltrà,
Abdita telluris venit ad arua noua:
Viſa metallifera eſt cùm grandis IBERICA, *falſo*
Quam vocat Ammericen nomine vulgus iners.
Huius nec molem polus alter deſpicit omnem:
Pars maior veteri eſt parte ſoli atque ſali.
Hanc poſtquam bello miles concuſſit Iberus,
Orbem alium & dites obtinet exuuias.
Obtinet exuuias, quas ſi modò conferat vllus
Europæ atque Aſiæ vel Libyæ exuuijs,
Nil aget ingentis pretio ſuperatus acerui.
Ditius his toto quæritur Orbe nihil.
Vnus equis luſtrare poteſt vix Phœbus anhelis,
Singula quæ vaſtus continet arua globus.
Non illum Zephyrus, non illum peruolet Eurus,
Non Aquilo, aut tepido qui flat ab axe Notus.

 Sol

Sol oritur primùm primos cùm cernit Iberos,
Quos tergo hærentes ipſe reliquit heri.
Hos idem igniferum cùm iam tenet arduus axem,
Hos idem extremis comperit in latebris.
Hos alibi atque alibi cernens cùm cernit vbique,
Miratus tales reddit ab ore ſonos:
Pars minor Imperium fuit Orbis, Romule, Roma,
Hiſpana imperium eſt gentis & Orbis idem.

HISPANICARVM REGIONVM INCOLÆ

ſua prodentes ingenia & Elogia.

LVSITANVS.

Portugues

LVſia gens ora paruum moderamen Ibera
Extulimus magni culmen ad Imperij.
Nec priùs Heſperios vidit lux ſera leones,
Vulnera quàm CHRISTI *quina videret* EOS.
Obruere Hiſpanus poterit tot ſceptra, tot vrbes,
Iure ſuo; haud animum flexerit ille meum.

Digitized by Google

BÆTICVS.

Andaluz.

BEllandi fandiq́ potens ſum Bætis alumnus,
Deuehit auriferas cui Nouus Orbis opes.
Hîc nemus Elyſium veteres ſtatuêre Poëtæ,
Palladis hîc latos arbor inumbrat agros. (acres
Quòd tamen ad Nomadas Mars omnia tranſtulit
Hac ſemel, angit atrox conſcia corda dolor.

ILLIBERITANVS.

Granadino.

QVi niuibus canos circumuagor accola montes,
Quà rapidos ſcuticâ Sol agit altus equos;
Idem aliàs riguas valles, colleſq́ virenteis
Luſtro, aliàs pugnax bella cruenta gero.
Aſſertor patriæ ſi hoſtes procul exigo ſerus,
Haud volo tot Numidas commoda habere diu.

MENLARIENSIS.

Murciano.

SIt ſitus hic noſtræ quamuis regionis amœnus,
Ipſe manu promptus Martia ſigna ſequor.
Non nemus eneruat noſtros geniale; tuendis
Feminea his muris hactenus haſta ſat eſt.
Cuiq́ etenim hoc cælum robur præbere virile
Eſt pote cum vegeti viribus ingenij.

Digitized by Google

Valenciano.

VALENTINVS.

RVra colo Alcinoi viridantibus æmula ſiluis,
Nec tamen hinc ſegnis bellica ad arma feror.
Sæpè ego pugnaui Libyes tela omnia contra,
Et vici auſpicijs, inclyte Cide, tuis.
Nam validas auget formoſa Valentia vires,
Conueniant rebus nomina vt ipſa ſuis.

Catalan.

GOTHOLANVS.

TAm mihi pax odio eſt (ni aliunde huc ventitet hoſtis)
Quæſitum vt ſicâ conficiam ſocium.
Hac belli rabie impulſus, ſtudióq; ſagaci
Obſideo ſiluas indigenúmq; vias.
At, ſi ſæcla queant hanc noſtram abſtergere labem,
Celtiber haud nobis anteferendus erit.

Aragones.

CELTIBER.

ILle ego Romanis iam formidabilis armis,
Iure Numantinis glorior ortus auis.
Tota mihi debet cognomen Iberia pugnax
Vertice quæ ſummo ſidera celſa ferit.
Hinc fracto ſi fortè Orbis ſimul axe labaſcat,
Impauidum feriet vaſta ruina caput.

VAS-

Digitized by Google

VASCON. Nauarro.

CElſa Pyrenæi pernix iuga montis oberro
Multiuagas captans per nemora alta feras.
Horridus in iaculis Gallo hinc, hinc cingor Ibero,
Nec ſatis hoc certum eſt cui mala plura precer.
Sed mea Gallorum quondam tot ſtragis aceruos
Dextra dedit, fidus credar vt eſſe meis.

CANTABER. Vizcaino.

CAntaber indoctus quondam iuga ferre Quiritũ,
Montibus immunis nunc quoque inerro meis.
Quodque ſoli hic ſimilis ferri chalybiſq; feracis
Stem vaſto aratus murus ab Oceano,
Liber & ingenuus, rebus fecundior ipſis
Quàm verbis, magnus Marte vel arte feror.

CALLAICVS. Gallego.

BEllipotens Mauors alijs ſit numen amicum,
Aeternùm Artabris Dux Iacobus erit.
De Pœnis meritas hoc ſumpſit vindice pœnas,
Sæpiùs Hiſpanis ſubdita terra viris:
Hinc, ſimus quales bello, nil ſcire neceſſe eſt,
Fungitur æthereo ſi plaga noſtra Duce.

Digitized by Google

Aſturiano.

ASTVR.

ASTur Regis amans, effoſſo hinc concolor auro,
Arceo Maurigenas finibus à patrijs.
Nec patior diros vltrà penetrare Tyrannos:
Quin regnum, his pulſis, & noua ſceptra paro.
Vendicet amiſſum Tellus moderamen Ibera,
Vindicias tamen has glorior eſſe meas.

Eſtre-meño.

VECTON.

ORbem alijs alium ſit opus reperiſſe, repertum
Cogere ſit munus ſub iuga abire meum.
Mundus Alexandrum non totus ceperat vnum:
Quî tot Alexandros arcta tuliſſet humus?
Hinc ſua quæ tantùm poſſedit Iberia Regna,
Per me etiam geminum poßidet Imperium.

Manche-go.

LAMINITANVS.

VAſta mihi Heſperiæ patet & pars optima terræ,
Nec premor anguſto limite Laminij.
Arua Ceres Bacchuſq; colunt, Pallaſq; Paleſq;:
Marchia at à Martis numine fortè vocor.
Roboris eſt multum noſtris ad bella colonis,
Nobilis ad Muſas nec minus ingenij.

CA-

Digitized by Google

CASTELLANVS.

Caſtellano.

SIt mea ſat virtus belli ſpectata domiq́;:
Grandius inuento nomen ab Orbe fero.
Natus ad Imperium, quod vixdum luſtrat anhelis
Phœbus equis, latus vix premit Oceanus,
Nil moror, huic omnis ſi paret Iberia victrix;
Et quota pars ſceptri nunc erit iſta mei?

INSVLARES.

BALEARICVS.

Mallorquin.

HIc ego contorto ſtridentis verbere funda
Notus Iberiadis, notus & Auſonijs,
Terrebam reliquos ab inermi territus hoſte.
SCILICET EXIGVVS NEMO INIMICVS ERIT.
Nunc pelagi contemno minas, claſſeſq́; rapaces,
Mars quia præſidio eſt auſibus ipſe meis.

EBVSIVS.

De Iuiça.

ALluor vſque ſalo, validâ ſpeculatus ab arce,
Africa fallaces quas ſtruat inſidias.
Hinc ſale proſpicio Oenotria, pinguiq́; ferinâ,
Hinc tutis puppes accipio hoſpitijs.

Vix

Digitized by Google

Vix pirata meas remos lentare per vndas
Audeat, impunè id vel ferat ille diu.

De Cadiz.

GADITANVS.

PHœnicum ſoboles, terq́ amplì Geryonæi
Armiger, in mediis faucibus Oceani
Excipio currus condentis lumina Solis:
Hac illi optata eſt nocte ſilente quies.
Vim patiens quandoq́ acrem, quandoq́ repellens,
A cinere, vt Phœnix, ſæpè reſurgo meo.

Iſlas de Canaria.

BEATORVM INSVLÆ.

ALeida quamuis procul arctâ à fauce, profundis
Dicamur ſedes Manibus Elyſiæ;
Quòd nobis paſſim tam ſint felicia rura,
Vt viua & fato corpora functa beent,
Fortunatorum dictæ ſumus inſulæ: Iberûm
Nam fortunato ſubſumus Imperio.

Iſlas de los Açores.

ACCIPITRARIÆ INSVLÆ.

NOs licet Oceani vaſtis vallemur ab vndis,
Sit tumido & quamis inſula cincta mari,
E noſtris in viſceribus vis ignea ſurgit
Interdum, flammas vincat vt, Aetna, tuas.

Hinc

Digitized by Google

Hinc hoſtes vt aquâ iure abſterremus & igni,
Claßibus Heſperijs portus & ara ſumus.

HESPERIDES.

Iſlas de Cabo Verde.

ABſumus Heſperides quæ longè à littore Ibero,
Gorgoneis fretæ legibus & laribus,
Hoſpitium rerum dominis præbemus Iberis,
Obſequimurq́ue vltrò ſcilicet Heſperijs.
Nos fruſtrà incurſat claßis ſcelerata latronum,
Nam cautâ hoſtiles temnimus arte minas.

TEMPLI TER MAXIMI DIVO LAVRENTIO SACRI IN ESCVRIALIBVS ΕΓΚΩΜΙΟΝ.

HActenus vna domos Zephyri, Soliſq́ue cubile
Iactet, & auriflui dona beata Tagi;
Iactet oues flaui ardentes fulgore metalli
Heſperia, vmbriferi vel nemora Elyſij:
Aut genus aëreo volucrum de ſemine equorum,
Siue trophæa nouo parta ſolo atque ſalo:
Dein tamen vt veterum ſileant præconia laudum,
Tantum opus hoc Regis iußit Iberiada.

H Nam-

Namq; vbi LAVRENTI vota olim templa dicauit,
Atriaq; æthereis æqua periſtylijs,
Nil habet Heſperia his maius, nil pulchrius; Orbis
Pulchrius aut maius nil habet Heſperiâ.

FORI PROMERCALIS
SEV
CIRCI MAXIMI MANTVANI
ludis taurilibus & haſtiludijs dicatæ Palæſtræ
ADVMBRATIO.

AMphitheatrales quà ſpectas aduena moles,
Et vaga Mantoum ſternit arena Forum,
Quaq; patet, ſolidis pendetq; innixa columnis
Auricomum criſpans ſcena coruſca iubar,
Aemula Romuleis cernes certamina pugnis,
Hic locus vt Circi, ſic Cauea inſtar habet.
Paſiphaes ſtimulis agitatur adulter amaris
Hîc ſæpè, hunc pedes, hunc territat acer eques.
Raptor Agenoridis meritas pro crimine pœnas
Soluit, & infeſto caſus ab enſe cadit.
Bucera ſternit humi pubes ſimulacra Acheloi,
Raptaq; de toruâ cornua fronte gerit.

Digitized by Google

Hoc modò Carpophorus ceu campo exultat aperto,
Et redolens crepulo flamma fragore volat.
Hoc quoque Troia vetus celebratur in æquore ludus,
Et quia multiuolus ludicra ciuis auet.
Hîc in carceribus ſonipes ſpectatur Iberus,
Vel metâ, medio non tamen in ſtadio.
Huc properant raptim Proceres, plebs denſa, Senatus,
Indigena, externus, vir, puer, atque ſenex.
Hîc hominum lætis reſonat clamoribus æther,
Hîc plaudunt alacres garrula turba nurus.
Qualis ab arce pater ſuperi deſcendit Olympi
Aſtripotens, epulas dum petit Aethiopum:
Talis ad hæc nitidâ tendit ſpectacula ab aulâ
Regnator gentis diues Iberiadûm.
Hinc mihi ſeptenos, mirandóſque Orbis honores
Ampliùs haud memorent carmina Pieridum:
Hoc decus Heſperij mirentur ſæcula Regis;
Non habet huic Circum Iuppiter ipſe parem.

NEMORALIS AMBVLACRI MATRITENSIS ΚΑΤΑΓΡΑΦἨ verſibus Trochaicis.

NVnc ebur, nunc vox canora, nunc ſonet Polymnia
Vox nemus, rorántſq; pratum, ceſpitéſq; floreos,
Quos manu Dia nitenti conſitos Vrſaria (cules:
Chloris ornat, Crenis ambit, latè inumbrat Her-
Quæq; multâ nocte Pani dixit, & ſororibus
Pulchrior viſa inter omnes Dendris ipſa Hamadryas;
Audijt Pan, mox amicis rettulit paſtoribus,
Hauſi id auribus, cicutis rurſus ipſe à ruſticis:
Hoc age, hæc iam, Diua, læti concinamus poſteris.
Ampla vernâ cùm ruberent prata quondam purpurâ,
Prata quæ Maius coronat hîc roſis pubentibus,
Aſpicit quâ portâ ad Ortum picta Sol ſuburbia;
Nocte cùm tacente lucent clara cæli ſidera,
Pane agreſti tunc choreas ductitante, Oreades
E cauatis prodeuntes arborum lararijs,

Huc

Huc feruntur conuolaſſe cum ſonoro murmure,
Sæpè quò venire lætæ, quà ſedere ſueuerint.
Tunc ſedentibus choreis, tunc ſilentibus choris
(Vocibus ni cùm neceſſe verba dictis reddere)
Ceteris quæ prænitebat vna, Dendris nomine,
Carmen orſa de vireto tale fertur nobili:
Rura iam ſilent amœna, ſplendet axis aſtriger,
Iam pecus, iam paſtor ipſe fuſus alto in gramine eſt,
Et feris quies amica eſt, & ſopor volucribus.
Nox choros ducit micantum, non Diana, Siderum:
Ipſe ludit cum ſorore Phœbus Orbe in altero,
Quem ſibi potenti Iberi claſſe fortes vindicent.
Aura frondium per alta ſi fluens cacumina
Sibilat, vagánſque nidos ſpirat inter textiles,
Textiles nidos volucrum pſittaci quas ambiunt,
Ritè cùm domi vagetur, quà libebit fluctuet.
Gryllet & gryllus, laténſq; voce acutâ perſtrepat;
Nam loci cùm ſit colonus, iure ſtridet hîc ſuo:
Non loco pellendus omni, quin herus ferendus eſt.
Nil moremur hos ſuſurros, nil canores ſtridulos:
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Ter pede arua Pan laceſſe, læta finge carmina.
Nais vlla nec ſileſcat hîc, nec vlla Oreadum.
Quæque gratas inter vmbras arua pulſet ter pede:

 Sua-

Suauiter crepent cachinni, cuncta riſu geſtiant.
Nocte quam lux nunc colorat luce Solis pulchrior,
Quâ ſolum, quâ ſic renidet ætheris fax cærula,
Aetheris fax quam figurant tot coruſcæ ſtellulæ,
Quâ bibunt roris cyperi dulciter libamina,
Quâ madorem prata captant quem dies exſuxerat,
Hac fruamur, hac iocemur, hac canamus inuicem.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.

Populi quæ nunc virente fronde, opacâ qua comâ
Herbulis arcetis æſtum, limpidis & riuulis,
Dum calet tellus, cicadis dum fruteta perſonant;
Num memor vos inter ipſas hactenus ſit plantula
Temporis quo terra acutis iſta dumis horruit,
Dicite: vſque vos adeſſe fortè iuſsit Iuppiter.
Hoſce tum ſonos roganti reddidere populi:
Antè multò, Nympha, quàm nos, cuncta noſti quæ rogas;
Haud enim ſatis latet te nos vigere poſtero.
Ipſa iam canas rogamus, muneris totum hoc tui eſt:
Nos tacere, te referre mira multa nunc decet.
Populi ſic: Dendris inde mira plura hac concinit:

Arbutus, frequenſq; pinus, roſmaris vel fraxinus
Hanc tegebat cùm ſupinam, tum feracem glebulam,
Vnguibus quam preſsit vrſus atque villis horridus.

Falce

Falce ſed demum ſeuerâ, mox futura Mantua,
Cuncta purgat, ſitq́ue lata ſilua latè cadua.
Aedibus tandem locatis, quà patet, per verticem
Hanc coloni primò ab vrſis nominant VRSARIAM.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Vrbis inde cura ſollers, cura ciuis prouida,
Inter arbores amœnas, gemmeoſq́ue ſurculos,
Seuit vlmos hîc opacas, ſeuit albas populos.
Vlmus eſſet vt perennis cum perenni populo,
Et locum ſepſit rubetis, atque odoris vepribus.
Creuit alnus, creuit herba, creuit & micans roſa.
Prata floribus decora mille odores iactitant.
Omnis ardet hîc roſeti, Veris atque amœnitas.
Omne vernat hîc viretum cum virore perpeti.
Fragrat hîc Aiacis ardor, prolis & Cephiſia:
Hîc Lacon rubet puellus, hîc vir Afer fulgurat.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Hîc Dionem cùm Fauonî iuuit eſſe regiam,
Huc ades, dixit, Fauoni blande, verne, florifer,
Hac domus perennis eſto, ſeu tibi palatium
Aureum, regale, pictum, diues, amplum, ſplendidum.
Veris ô pater comantis, aura mollis quem iuuat,
Rex viroris, rex odoris, ætheris ſudi arbiter,
Halat id quo diues Hybla, quódq́ue Hymettus germinat,
Quód-

Quódq; Hydaſpes Medus offert, ſpirat & Panchaïa,
Quidquid ales à Sabæis colligit Titanius,
In ſinus diſperge ruris, hícque largo flamine
Iſta iam foue, ac tepôre tempera arua iugiter.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Dixerat. Mox ille pennas diffluentes nectare
Concutit, glebaſq́; pingues vitreo rore imbuens
Huic maritat; quáque mitis deuolat vernus color,
Hac ſubit, luſtrátque cuncta, rura amœnat vbera.
Læta Tellus ipſa in herbas turget, omnis tunc ager
Vernat; ac cæli ſereni riſit vt rotunditas,
Induit ſplendore pullo candidus vaccinia,
Et roſas oſtro colorat, pingit & ferrugine
Quas humus profert ſorores purpuratis floſculis.
Non tot attulit colores Perſis vmquam Eoa, nec
Tænaris ſic ora fucat aut Libyſtis vellera:
Diſcolor nec Iris olim cincta aquoſis nubibus
Sic viret per vda, picto vel rubet curuamine.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Quin deorum turba, vt almam demereret Cyprida,
Eius igni, nomini eius, eius vltrò numini
Arbores, herbáſque agreſtes conſecrauit. Clauiger
Protinus glaucam dicauit, candidámve populum,

Lar

Lar papauer, aſt Iacchus ſacrat vltrò ſmilacem,
Cærulam Minerua oliuam, Liber idem pampinum,
Et Ceres myrtum crocúmq́, Mars Quirinus gramina,
Pan bicornis hiſce pinum contuliſti garrulam.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Forma iam loci vetuſta, quam videtis, extitit:
Vallis eſt depreſſa, vtrimque collibus coërcita,
Collibus nimirum apertis, igneo ſub Sirio
Algidis; iugíſve ſenſim non ſupinè accliuibus
Sternitur, quà vallis ima, refluis arenulis,
Quà pererrat vulgus anceps, quà pererrant reguli.
Hinc & illinc lympha ſerpit, hinc & illinc riuuli,
(Riuus iſte qui ſonoro mulcet aures murmure,
Riuus ille illimi in vndâ cuius ardet Lucifer)
Vlmeis vagi ſub vmbris, & ſub vmbris frigidis
Populorum, quæ laceſſunt aſtra pura vertice.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Naiades vos quæ latetis in latebris fontium
Luce, noctu quæ choreis luditis pernicibus,
O quot olim cernere hirti marmoris carcheſia
Hic erit, veſtras in altum quæ vibrent aſpergines!
O quot arcus tunc aduncos, ambituſq́ flexiles,
Ludibunda de tenebris ad iubar iactabitis

Solis, vt nimbos & imbres æmulemini Iridum,
Cinctus aër cùm videtur vitreo velamine!
Quot puelli tunc corollis frontem amicti floreis
Sacra vobis læti obibunt, ſacra Fontanalia!
Tuq́ Nais quæ fluenta tunc rotabis aurea
Nocte ſerâ, manè, puræ lucis orto ſidere,
Vt ſitim ſedes anhelam languidis mortalibus,
Sola ab auro iure nomen vſque habebis aureum.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
O beati queis videre ſit futuris ſæculis
Læta cùm vernante Aprilis rura vellet termite,
Prata cùm tepore abundent, riui & vnda exuberent;
Cùm dies micet ſerenus ante rubrum veſperum,
Vt cohors accurret omnis, omnis cœtus Aulicus,
Rexq́ lucens ſolis inſtar fulgeat cum compare,
Emicet Regina Lunâ vel Dione pulchrior:
Audiet cùm Rex Apollo, Regis vxor Cynthia,
Hinc & illinc ſpiculator, hinc & illinc falcifer,
Pareat Ioui maritus, vxor at Saturnia;
Gemma currus, gēma ephebos, gēma comat virgines.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Ponè ſit vindex ſeuerus, vel ſenex moroſior,
Qui petulcos à puellis maximè hircos arceat.
Hi quadrigis ambo pergant ſubter vmbras arborum:
Sit

Sit comes ſalus, venuſtas, flos & ipſe Iberia.
Vos comâ teſtas virente de cubili frondeo
Cuncta furtim contueri perſpicaci lumine
Fas erit; lumen Deorum cuncta acutè perſpicit.
Cumq; riuos inter ipſos, & roſas ſat bellulas,
Ambulantes Veſperugo deprehendet noctifer,
Quà domum redire curent exulent crepuſcula.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.

Hac frequenter plebs pererrat ambulacra gemmea,
Vrbis hac caterua diues, turba luſtrat nobilis.
Hîc puella cum puello ludit alto in gramine,
Cum marita ludit vxor, leuir & cum coniuge.
Murice hæc nitet iuuentus, veſte at illa ſericâ:
Hic amictu ſplendet atro, vellere hic Mileſio:
Torquis ad ſolem coruſcat, bulla latè fulgurat,
Torquis aureus, ſed inſtar ſolis ipſa bullula.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.

Serta texit feſta amica ſæpè amator anxius,
Sæpè picta vel parenti ſerta texit filius.
Ludit hic lyrâ, ille ludit multichordi barbito.
Saltat ac procax choreas ductitat iuuenculus.
Hic refert canens olorem, reddit ille acredulam.
Hic ſodalis cum ſodale ſalſus ipſe garrulat,
Hic canit; ſuſpirat ille telo amoris ſaucius.

Digitized by Google

Stertit hic ſopore victus, aſtat alter peruigil:
Cuncta concrepant cachinnis, cuncta lætis vocibus.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Miles hîc veſanus arma iactat vltrò vt feminis:
Marmoris ſic narrat iras æſtuantis nauita,
Sic Noti vector procacis tunc recenſet prælia.
Potat hic, eſt ſiccus alter: alteri vitis latex,
Huic latex placet ſuauis de ſcatebris fontium.
Cuncta ſors opima inaurat, regnat hîc pax aurea.
Grata ſit nurus vel ipſi tum ſeueræ ſocrui,
Grata quin nouerca, & ipſi ſint mariti pignora.
Non Erinnys ſæuit atrox, Eumenis vix hîc furit.
Tu morare dum iocamur, Diua lucis nuntia.
Sed quid hîc fruſtrà precemur coniugem Tithoniam?
En rubet, citáſque bigas vrget, en ſolis iubar,
Nox fugit, purúſque rebus en dies illabitur.
Pan vale, valete Nymphæ mox tegendæ caudice
Roboris noti, volentes tecta inite frondea.
Tu veni, nos ecce abimus, Diua lucis nuntia.
Dendris hæc olim locuta cum loquelâ euanuit,
Cúmque Pane quæque Nympha per nemus dilabitur.
Tunc canor cœpit volucrum conquerentum garrulus,
Et melos bibit canorum candicans lux ætheris.
Hîc acanthis picta pennas, congreges & alites,

Aërem

Aërem cauum boare voce cogunt tinnulâ.
At ſata ales rege quondam nobili Pandione
Flet nefas Thracis tyranni, flet nefaſtas nuptias,
His querelis vim doloris fuſſa læſi pectoris:
Heu miſella virgo, fruſtrà gnata regis Attici,
Quò miſella virgo auari, quò ſali veſanias
Effugis? quò incauta vitas ora ſæua priſtium?
Te ſolo manent in vno continentis Thracia
Fata monſtris diriora vel procellis æquoris.
Quæ te agit Mænas nefāda, quæve Erinnys improba,
Vt velis, Biſalta, haberi me ſororis pellicem?
Martis ô proles amari patre amaro amarior,
Te pudoris denſa rapti ſilua damnet crimine:
Te premant laruæ minaces, te feræ deartuent:
Te polus, tellus & vnda verſet, angat, obruat.
Ah proterue, immitis, atrox! ah adulter barbare!
Plectra linguæ quid tenella, quid recîdis neruulos?
Hæc ſuperna turba Diuûm, vel probet Rhamnuſia?
Num putas arguta, ſæue, defutura murmura,
Regium latè per orbem quæ ſcelus diſſeminent?
Ipſa, ſeu purus coruſcet ſol, micet ſeu lucifer,
Vixero, mœſtiſve turbis aggregabor Manium,
Te procacem, te ferocem, te cruentam belluam
Turpiter de vi petulcâ perpetim damnauero.

Digitized by Google

Plura ſic gemens volucris, plura ſemper concinit
Imbuens genas rubore vel madore ocellulos.
Accinit chorus canenti ſiue cœtus penniger,
Perq́; ramulos comantes, perq́; opaca frondium
Vallis arbores ſonoris perſonant concentibus.
Hîc apis flores oberrans emicantes bombilat,
Haurit ore, crure geſtat flaua mellis munera.
Mulcet aures quà ſuſurrus, lumina artifex labor
Paſcit vtraque. hoc decore ſenſus omnis paſcitur.
Hac FauonI ſemper aulâ, lenis arce Chloridis,
Hac voluptatis palaſtra, ſiue aſylo gaudij,
Hocce delubro Diones, aut vagi Cupidinis
Siue ludo, ſiue ſede, ſiue arenâ nobili,
Vrbs fruetur quæ vetuſtis ſæculis binominis
Extitit; ſed nunc ſenectam nominum quòd exuit,
Dicitur MATRITVM *Iberis, nempe mater vrbium.*
Ergo lucis immoramur ſic opacis, Virgili,
Vt beatorum nec vmbras, prata nec virentia
Amne ſeu perfuſa amœno ſiue aquoſis imbribus,
(Verſibus quæ tu vocaſti pulchra ad aſtra Homericis)
Eſſe cultu digniora vel canoro carmine
His putemus, dum ſupernos temperabit circites
Rebus aſpirans Iberûm Magnus Orbis Arbiter.

Ne

Digitized by Google

Ne laudibus HISPANIÆ pauca hæc ſubſtraheremus, ex noſtro BLEMATVM libro nondum edito hoc vnum excerpſimus, & ſuperioribus addendum curauimus, eidem rei conſultò deſtinatum. Lector lege, & boni conſule.

BLEMA.

Sibimet pulcherrima merces.

ORbis & Heſperij ſeptem miracula fulgent,
Vltima quem reflui verberat vnda freti.
Ergo domus Zephyri vernantibus imminet antris,
Florea quà roſea Chloridos arua virent.
Criniger hîc repetit latebroſa cubilia Titan,
Cùm Tarteſſiacis inſtat anhelus aquis.
Cornipedeſq; afflat genitabilis aura Fauonî,
Prauortat curſu vt ſtirps rapido acta Notos.
Inde Tagus fuluis agros opulentat arenis,
Et crepat in vitreis aurea lamna vadis.
Pranitet Elyſium viridantibus vndiq; ſiluis,
Quà Tempe Heroüm ſunt pia Bæticolûm.
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Heſperium bractea viua pecus.

Hîc

Digitized by Google

Hîc rerum domini ſubſunt penetralia Ditis,
Naturaq́ue latent omniparentis opes.
His conferre igitur veteris miracula famæ
Qui ſtudeat, luci conferat & tenebras.
Hæc ambire alios nil mirum: ſed tamen ipſa
Extra ſe verum eſt quærere poſſe nihil.

NVlla vmquam gens, quæ modò periculum facere curarit, dubitabit vnam eſſe prouinciam Hiſpaniam inter præſtantiſſimas τῆς οἰκουμένης nationes, quæ re nullâ, alicuius ſaltem momenti, ad hominum vſum à Naturâ productâ, externæ regionis indigeat, ſed plurima contrà reliquis ab orbe condito ipſa ſubminiſtret. Vbi enim campeſtria loca ad arborum omne genus conſerendum, ad ſationem, ad paſtionem & alia, latiùs protenduntur? Vbi montana ad aëris ſalubritatem, pecorum armentorumq́ue greges paſcendos alendoſq́ue, occurrent crebriùs? Rupes quæris, marmora ac diuerſi generis lapides, etiam ſpeculares, lateres, ligna materiemq́ue ad extruenda ædificia? non alia vmquam regio copioſiùs frequentiuſq́ue ſuppeditet. Si fontium fluuiorumq́ue perennes decurſus, ſalubreſq́ue hauſtus appetas, ipſi paſſim obuiàm procedent. Si pabuli lætitiam, & ſegetum luxuriantem fecunditatem, vbertatem herbarum ad odores & medicamenta requiras, nullibi prouentus feraciores. Si frumenti diuerſi generis copiam inexhauſtam, ſalis etiam foſſilis ſapores, multipliceſq́ue vſus, non vſquam gentium abundantiùs reperiuntur. Vini apothecę generoſiſſimi Angliam, Belgium, Daniam, Galliam, Germaniam, & interdum Italiam, ſemper Nouum Orbem inundant, vel inebriant potiùs. Hîc pinus affatim,

affatim, hîc quercus, conficiendiſque nauibus abietes & robora magnam ſilueſtrium ſaltuum partem obſident. Minium excauant Callaici, ſalem Celtiberi, ferrum chalybemque Cantabri & plures alij; aurum & argentum vbique abundat, nedum apud Aſtures & Bæticos. Spartum funibus nauticis contexendis peculiare nobis eſt, præter cannabis & lini ſegetes, quæ paſſim vireſcunt. Oleum quæ vmquam plaga affluentius & ſuauius produxit? mala verò aurantia, citria, punica, cotonea, & oliuæ, omnigeniique arborum reliquarum fructus ſaluberrimi nuſquam feliciùs proueniunt. Melopeponum, cucumerum, cucurbitarum, caulium, & herbarum veſcarum vel olerum, genus varium & multiplex hîc pullulat. Piſcium capturæ, auium aucupia, quadrupedum ferarum venatus, militum præludia, ſanè quàm laudibus eximijs efferenda. Hîc Circum, hîc Martium campum, hîc ſuum cuncta theatrum habent. Vellera, ſericum, lineæ telæ, manicæ odoratæ, pelles hircinæ alutâ concinnatæ, tantâ exuberant abundantiâ, tantâ vbique elaborantur dexteritate, vt nullibi tales inuenire, toto licet orbe peruagato, cuiquam liceat. Equorum præſtantiam, taurorum ferociam & robur ſoli dedit Hiſpaniæ Natura; nec alibi maiore cum diſcrimine agitentur. Ingenia hominum ad omnia prompta, ſeu armis ſeu litteris inſtruas docilia, & nullis ſecunda. Viri, & feminæ quandoque ad bellum & tolerandos labores, famem, frigus, vigilias & naturæ acerbitates, nati. Aër ipſe nullis propemodum inficitur nebulis, nitidi ſoles omnia colluſtrant: arua tempeſtiuis imbribus irrigantur; interdum amnibus & incilibus. Prata florea paſſim & odorata renident. Viridiſſimi colles gratum oculis aſpectum præbent: vt non iniuriâ veteres Elyſios apud Hiſpanos eſſe voluerint. Prætereo innumera alia; arma, inquam, artificeſque rerum variarum, nauigandi

Digitized by Google

peritiam, & quæcumque alibi ad vitæ vſum abundant, quæ Hiſpanis ſuppetere copioſiſſimè omnes norunt. Neque enim his anguſtijs res tot tantæque comprehendi poſſunt: & hæc ipſa meliùs ab exteris referentur, quorum ſententias & teſtimonia nonnulla eâ de re ſine inuidiâ inſeremus. Ac primò Latini Pacati Drepani elogium præludat huiuſmodi ad Theodoſium Imperatorem. Primùm, inquit, tibi mater Hiſpania eſt terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atque adeò ditandæ, impenſiùs quàm ceteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit. Quæ nec Auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubiecta frigoribus, mediâ fouetur axis vtriuſque temperie. Quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æſtibus, inde Tyrrheni maris coronata naturæ ſolertis ingenio velut alter orbis includitur. Adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaque omnia vel fructibus plena vel gregibus. Adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas Poëtarum auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuiſſe miracula: quæ vt ſint vera, ſunt ſingula. Nec iam excutio veritatem. Sint (vt ſcribitur) Gargara prouentu læta triticeo, Meuania memoretur armento, Campania cenſeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo; dum Hiſpaniæ vni quidquid vbique laudatur aſſurgat. Hæc duriſſimos milites, hæc experientiſſimos Duces, hæc facundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos Vates parit: hæc Iudicum mater, hæc Principum eſt: hæc Traianum illum, hæc deinceps Hadrianum miſit Imperio, huic te debet Imperium. Cedat his terris terra Cretenſis parui Iouis gloriata cunabulis, & geminis Delos reptata numinibus, & alumno Hercule nobiles Thebæ. Fidem conſtare neſcimus auditis, Deum dedit Hiſpania quem videmus. Hactenus Latinus Pacatus. Iuſtinus verò Hiſtoricus integrum

quadra-

quadrageſimum quartum librum Hiſpaniæ laudibus dicauit, quas tamen exſcribere operæ pretium non puto, cùm cuilibet ſint in manibus. Plinius autem extremis magni operis verbis, vbi pro libidine Italiam ſuam ſupra modum extulit, *Ab eâ*, inquit, *exceptis Indiæ fabuloſis, proximè dixerim Hiſpaniam quacumque ambitur mari*. Quo ſanè teſtimonio Italiæ Hiſpania antecellere videatur. De gentis fortitudine adeatur Velleius Paterculus lib. II. Claudianus, Silius, & innumeri alij Scriptores primæ notæ.

Cùm præterea nulla ſit vſquam gens, nulla telluris vaſtæ portio quantacumque, ex ijs præſertim quæ potiſſimæ iudicantùr, cuius gloria non aliquo olim fabulamento cenſeatur: ſiquidem Athenienſis & Romanus rebus geſtis perilluſtris populus, ille Mineruæ, hic Marti (vt interim Cecropem Romulumque ſilentio inuoluamus) ortum incrementumque ſui referat acceptum: Carthaginienſes à Didone, à Cadmo Thebani, Galli à Francione, Britanni à neſcio quo Bruto nominis ſui gloriam auſpicantur. Nos itidem cùm ab Heroë primùm Tarſe proſati, cum Tubale pariter communi omnium Scriptorum conſenſu dicamur; plura quoque veterum Poëtarum tam Græcorum quàm Latinorum decantata carminibus monumenta beneficio naturæ ſortiti ſumus, quæ reliquis totius antiquitatis miraculis longè anteferantur, ne vel hac tanta commendatione deſtituti aliquando ferremur. Iactant Rhodij Solis coloſſum, Pyramides Ægyptij, Muros Babylonij, Iouis ſimulacrum Peloponeſij, alij præterea alia, quæ ſibi ipſis monſtra peperere; nobis autem etſi in Orbis, ſaltem veteris, extremâ velut lineâ conſtitutis, maiora quædam tribuiſſe Naturam agnouerunt: quæ ſanè ipſos in admirationem rapuiſſe vel ex eo conſtat, quòd nobis tacentibus ea ſuâ externi ſponte in ſublime extulerunt, vt ceterarum gentium nationumque

Digitized by Google

omnium cognitioni non ſine magnis encomijs paterent. Nec verò hæc ficta & ad voluptatem dumtaxat comparata, vt pleraque Græca & Romana, eſſe voluerunt, ſed quæ nullius æui conuerſione mutarentur; vt in omni ætate poſterorum ſemper oculis poſſent inhærere & obuerſari. Vt igitur Argantonios, Habides, Geryonas prætermittam, nec Vlyſſis circa hæc loca errores, Herculis columnas, Pyrenæorum incendia, aliaque commemorem; ſeptem tantùm admirationis plena ornamenta in medium afferre non pigebit, quò laus Hiſpanica priùs memoriæ ſæculorum conſecrata, ad futura etiam ſæcula pertinere cuilibet videatur.

Eſt igitur Blematis Epigraphe à Silio poëtâ ſumpta non incongrua Hiſpanicæ felicitati:

Sibimet pvlcherrima merces.] Hiſpanica ſcilicet felicitas, alienarum poſſeſſionum non indiga, circulum beatitatis in ſe vnica abſoluit: ſiquidem omnia habere, & re nullâ egere, id demum eſt, ſeipſâ contentam eſſe.

Orbis et Hesperii.] Id eſt Hiſpani: quandoquidem Italia etiam Heſperia olim vocabatur, ideò additum, hanc noſtram eſſe quæ freto alluatur Herculeo, non mari, quod ſuprà memorant, quodque alluit infrà. Vt ergo reliqui terrarum orbis ſeptem olim celebrata ſunt miracula hodie vetuſtate collapſa; ſic Hiſpani Orbis ſeptem etiam in omne æuum perſtant miranda, quæ nullâ vnquam temporum viciſſitudine conciderunt, nec vllâ ſæculorum conuerſione delebuntur, non hominum videlicet, ſed Naturæ artificio conflata, nec interitui obnoxia.

1. Ergo domvs Zephyri.] In Hiſpaniâ, propter vernam temperiem & amœnitatem, Regiam eſſe Zephyri arcem Poëtæ cecinerunt. Auienus in Orâ maritimâ:

Hinc dictum ad amnem ſolis vnius via eſt,

Genti

Digitized by Google

Genti & Cynetum hic terminus. Tarteſius
Ager his adhæret, adluitque ceſpitem
Tarteſus amnis. Inde tenditur iugum
ZEPHYRO SACRATVM: *denique arcis ſummitas*
Zephyris vocata eſt; celſa ſed faſtigia
Iugo eriguntur, vertici multus timor.
Conſcendit auras, & ſuper ſideris quaſi
Caligo ſemper nubilum condit caput.
Regio omnis indè maximè herboſo ſolo eſt,
Nebuloſa iugè his incolis conuexa ſunt,
Coactus aër atque craſſior dies,
Noctiſque more ros frequens: nulla, vt ſolet,
Flabra inferuntur, nullus æthram diſcutit
Supernè venti ſpiritus, pigra incubat
Caligo terras, & ſolum latè madet.

Hac etiam de re Claudianus ait:

Deſeritur iam ripa Tagi, Zephyrique relictis
Sedibus, Auroræ famulas properatur ad vrbes.

Et Lucanus lib. x. per Zephyri domos Hiſpaniam intelligit, cùm inquit: ———— *Licet vſque ſub Arcton*
Regnemus, Zephyrique domos, terraſque premamus
Flagrantis poſt terga Noti. ———

Hinc ergo quaſi ex ſtatione ſuâ & imperio flare dicitur Zephyrus ab Hiſpaniâ vltimâ: vnde Tzetzes Chiliad. VIII. Hiſt. XV.

Ζέφυρος ἐναντίος δὲ πνεῖ τῷ Ἀπηλιώτῃ,
Ἐκ τῶν Γαδείρων τε αὐτῶν, καὶ Ἱσπανῶν Ἰβήρων.

id eſt: *Zephyrus autem aduerſus ſpirat Apeliotæ,*
Ex Gadibus ipſis, atque Hiſpanis Iberis.

FLOREA QVA ROSEAE.] Ouidius Faſtor. v. ipſam de ſe loquentem ſic inducit:

CHLORIS *eram Nymphæ campi* FELICIS; *vbi audis*

Rem Fortvnatis *antè fuiſſe* Viris.

Quæ fuerit mihi forma graue eſt narrare modeſtè,
Sed generum matri repperit illa Deûm.
Ver erat; errabam: Zephyrus conſpexit, abibam:
Inſequitur; fugio: fortior ille fuit.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptæ:
Inque meo non eſt vlla querela toro.
Vere fruor ſemper: ſemper nitidiſſimus annus:
Arbor habet frondes, pabula ſemper humus.
Eſt mihi fecundus dotalibus hortus in agris,
Aura fouet; liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus impleuit generoſo flore maritus:
Atque ait: Arbitrium tu Dea floris habe.

2. Criniger h.r.l.c. Titan.] radiatus vel radioſus. Sol ad nocturnam quietem captandam Gadibus domicilium habere dictus eſt. Græci enim Poëtæ ſolem appellant Ἡμερόδρομον, quòd ſingulis diebus curſum ſuum peragat: quaſi verò noctu requieſcat in diuerſorio Thetidis. Inde Papinius lib. III. Silu. Solis cubilia Gades nuncupat. & Silius lib. III.

Armat Tarteſſos ſtabulanti conſcia Phœbo.

Claudianus de Hiſpaniâ:

——— ——— *Tu feſſos exactâ luce iugales*
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu.

Cvm Tartessiacis.] Cùm iam pronus ac de nimis longâ viâ feſſus in Tarteſſiacæ Thetidis gremium præcipitatur.

3. Cornipedesqve afflat.] Celeritas equorum Hiſpanorum effecit, vt vento concepti viderentur. ſic cenſet Iuſtinus lib. XLIV. cùm cauſam & originē ignoret: ſed Varro lib. II. de re Ruſticâ, *In equarum feturâ*, inquit, *res incredibilis eſt in Hiſpaniâ, ſed eſt vera: quòd in Luſitaniâ ad Oceanum in eâ regione vbi eſt oppidum Olyſippo, monte ſacro, quædam è vento concipiunt*

certo

certo tempore equæ. Idem adfirmant, Plinius, Columella, Solinus. Martianus lib. VI. de Nupt. Philologiæ: *In Atlantici Oceani confinio equarum* (ait) *fetura ventis maritantibus inoleſcit: volucres proli curſus, ipſo ſpirante Fauonio.*
De his loquitur Virgil. III. Georgic. cùm ait:

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leues auras, & ſæpè ſine vllis
Coniugijs, vento grauidæ, mirabile dictu, &c.

Et Silius: —— *Cùm ver placidum flatuſque tepeſcit,*
Concubitus ſeruant tacitos, grex proſtat equarum.

GENITABILIS AVRA.] Silius ibidem:

Et Venerem occultam genitali concipit aurâ.

PRAEVORTAT CVRSV VT S.R.A. NOTOS.] Qui anteeant curſibus auras. vnde à Græcis procellipedes appellantur.

INDE TAGVS FVLVIS.] Dictus ab antiquis Græcis Tagus Chryſorrhoas, & à Latinis paſſim auriſluus, aurifer. 4.
Claudianus: *Quantum ſtagna Tagi rudibus ſtillantia venis*
Effluxere decus! ——
Martialis: —— *Diuitis vnda Tagi.*
Silius lib. XVI. *Aurifero perfuſa Tago villoſa leonis*
Terga feri. ——
Claudianus in quarto Conſulatu Honorij:
—— *Hiſpania patrem*
Auriferis eduxit aquis. ——
Idem Panegyri Manlij Theodori:

Illuſtret circumſonipes quicumque ſuperbo,
Perſtrepit hinnitu Bætim, qui ſplendida potat
Stagna Tagi, madidoque iubas aſpergitur auro.

Denique nemo Veterum, præſertim Poëtarum, eſt, qui non Tagum aureis arenis diuitem paſſim appellet.

PRAENITET ELYSIVM.] Strabonis lib. I. verba Latinè 5.
ſonant

Digitized by Google

ſonant (nam Græca properans libenter omitto) *Eorum*, ait, *qui occaſum incolunt mortalium felicitatem oſtendit Homerus, & aëris temperiem; cùm Hiſpanicam nauigationem intellexiſſet, quò & Hercules, & poſteriùs Phœnices exercitum duxarunt, & latè imperium tenuere. Hîc enim & Fauonius ſpirat, hîc & Elyſium campum eſſe Poëtæ decantant, in quem à Deis mittendum eſſe Menelaum aſſerit, Odyſſ. 3.*

Elyſium ad campum ſummas telluris ad oras
Numina te mittent, flauens vbi nunc Rhadamantus,
Victus vbi eſt facilis, non nix, hibernáve multa,
Oceanus Zephyri ſuaues exſuſcitat auras.

De ſapientiâ Bæticorum ait Strabo lib. III. *Hi inter Hiſpaniæ populos ſapientiâ excellunt.*

6. VELLERA NATIVO.] Hoc etiam admiratione dignum, in Hiſpaniâ, vbi pro vnico vellere aureo, quod Veteres tantoperè celebrarunt, innumera ſunt aurea reuerà vellera in Bæticâ, quæque ab ipſâ naturâ aureo fulgore decorantur. Martialis lib. IX. Epigr. LXII.

In Tarteßiacis domus eſt notiſſima terris,
Quà diues placidum Corduba Bætin amat;
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo.

Et lib. XII. Epigram. C.

Bætis oliuiferâ crinem redimite coronâ,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. *Aſia rutili, quas Erythræas vocant; item Bætica.*

LINIT.] Aureo colore inficit. hac de re idem Martialis l. XII. Epigr. LXIV. l. VII. Epigr. XXVIII. & l. V. Epigr. XXVIII.

BRACTEA VIVA.] Id eſt lamina aurea leuiſſima.

7. HIC RERVM DOMINI SVBSVNT PENETRALIA DITIS.] Poſtremum hebdomadis rerum mirabilium portentum, vt ita

Digitized by Google

ita dicimus, eſt, Naturæ in Hiſpaniâ eſſe theſauros. *Non enim* (inquit Poſidonius apud Strabonem lib. III.) *diues tantummodò, ſed & diuitias ſufficiens & ſuggerens regio eſt. Peneſque Hiſpanos (vt verè dicam) ſubterraneum locum, non infernus, ſed Plutus, id eſt Dis ipſe opulentiæ Deus, inhabitat. Nam aurum, argentum, æs, ferrum, nullibi terrarum neque tantum, neque tam probatum generari vmquam compertum eſt. Aurum enim non ſolùm ex metallis effoditur, verùm etiam fluit. Flumina namq; torrenteſque auream deferunt arenam, quæ paßim & per loca aquarum indiga exiſtens reperitur. Ceterùm cùm illic quidem minùs appareat, in ijs quæ fluminibus alluuntur, aurei ſplendeſcunt ſcobes & grumuli. Quòd ſiquibus à naturâ negatæ ſunt aquæ, illatis rigantes aquis mox ſplendeſcentem efficiunt grumulum. Puteos quoque effodientes & alia per ſolertiam tractantes artificia, lauandis arenis aurum excerpunt. Plureſque hac ætate ſunt qui aurum eruant, quàm qui effodiant. vnde & Chryſoplyſia, id eſt, auri lauacra ſunt appellata.*

Pluto ergo dicitur imperium Inferorum obtigiſſe, quoniã apud Occidentis nationes & in Hiſpaniâ potiſſimùm regnauit, quæ fertiliſſima eſt propè omnium rerum Prouincia, & omnis generis frugum pleniſſima, præter loca illa in quibus effodiebantur metalla. Hunc quidam Plutum elementum terræ eſſe putarunt, ac diuitiarum regem, quæ omnes è terrâ eruuntur, eſſe crediderunt. Sic cenſet Martianus, ſic Natalis & alij tradiderunt.

EXTRA SE VERVM EST QVAERERE POSSE NIHIL.] Si ergo bonis omnibus Hiſpania præter modum exuberat: ſi nullus exterarum Regionum ac gentium præſidijs indiget, adeò vt alijs ipſa indigentibus multa nimis ſuppeditet affluenter: ſi diuerſis, ſi cunctis Naturę ornamentis reliquis totius Orbis Prouincijs antiſtet, fruſtrà quidem extra ſe quidquam deſideret, aut quærere debeat neceſſe eſt.

Digitized by Google

AD MOMVM.

TE te ego, tu me etiam naſo ſuſpendis adunco,
Quòd tibi non placeo, nec mihi, Mome, places.
Nemo ergo has poterit lites componere, donec
Te mea delectent, me quoque, Mome, tua.
His ſi ego non placeam cuiquam, tu, Mome, placebis,
Si tamen hac doceas pulchriùs & meliùs.

IN INVIDVM.

INuidiâ tibi digna tuâ precor, Inuide, vt vnus
Aetatem, vxorem, pignora, ſeruitium,
Delicias vita, ſocios, nomenq́;, genuſq́;,
Paciferamq́; togam, belligerumq́; ſagum,
Fortunas, patriam, dominos, nocteſq́; dieſq́;
Omnibus inuideas, nemo tibi inuideat.

Digitized by Google

CENSVRA.

IBerica hæc Epæneſis, à Domino Ludouico Tribaldo Toleto eruditè atque eleganter compoſita, publicam meretur lucem.

Gaſpar Eſtrix, Plebanus & Canonicus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, & Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis, *Ibericam Epæneſim Ludouici Tribaldi Toleti*, intra duodecim annos, prçter voluntatem Balthaſaris Moreti imprimat, aut alibi terrarum impreſſam, in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIX. Martij, M. DC. XXXII.

Signat.

Steenhuyſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google